HERPETOLOGIA MEXICANA,

SEU

DESCRIPTIO AMPHIBIORUM NOVAE HISPANIAE,

QUAE

ITINERIBUS COMITIS DE SACK, FERDINANDI DEPPE ET CHR. GUIL. SCHIEDE

IN MUSEUM ZOOLOGICUM BEROLINENSE PERVENERUNT.

PARS PRIMA,

SAURORUM SPECIES

AMPLECTENS.

ADIECTO SYSTEMATIS SAURORUM PRODROMO,

ADDITISQUE MULTIS IN HUNC AMPHIBIORUM ORDINEM OBSERVATIONIBUS,

EDIDIT

DR. AREND FRIDERICUS AUGUSTUS WIEGMANN.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRGPHICAE DECEM,

NOVORUM GENERUM TYPOS EXHIBENTES.

BEROLINI
SUMPTIBUS C. G. LÜDERITZ.
MDCCCXXXIV.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

CAROLO SIGISMUNDO FRANCISCO

LIBERO BARONI

AB ALTENSTEIN

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI BORUSSIAE IN GUBERNANDA REPUBLICA MINISTRO

SUMMO REBUS SACRIS MEDICIS ET INSTITUTIONI PUBLICAE PRAEFECTO

ORDINIS AQUILAE NIGRAE, AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE IN PRIMA CLASSE EQUITI

UT UNIVERSAE DOCTRINAE ITA NATURAE STUDIORUM AUCTORI AC PATRONO CELEBERRIMO

HOC OPUS HERPETOLOGICUM

QUOD MAGNA QUA SOLET MUNIFICENTIA ADIUVIT

SUMMAE VENERATIONIS AC GRATISSIMI ANIMI TESSERA

ESTO.

LECTURIS
S.

Quam ante hos sex annos brevi tempore prodituram esse promiseram, Amphibiorum Mexicanorum descriptionem, eius nunc tandem, lector benevole, primam accipis partem, historiam saurorum amplectentem. Quaenam causae fuerint huius morae, enarrare longum est; nec tamen sine utilitate nostro operi intervenit. Nam non solum animalium mihi cognitorum plura specimina succreverunt, sed etiam iudicium in discernendis speciebus mihi quotidiano usu acuebatur. Multa, quae tiro, quum primum talis operis consilium cepissem, scripsi ac promulgavi (Isis 1828. p. 364.), erronea esse postea didici. In his primo loco commemorem necesse est, me nonnullas Amphibiorum species, e Brasilia et septentrionali America hucusque cognitas, in Nova Hispania itidem degere falso contendisse. Quorum errorum plures iam in hac prima parte correxi. Sic Cnemidophorum, quem pro Cnemidophori Ameivae varietate venditaveram, speciem distinctissimam constituere didici et Cn. undulatum appellavi (p. 27.). Idem de Iguana tuberculata (p. 44.) et Euprepe quinquelineato (p. 36.), quae Novam Hispaniam inhabitare dixeram, valet. Quam pro Cinosterno pensylvanico sumpseram testudinem, ei Waglerus postea Cinosterni hirtipedis nomen imposuit (Icon. Amph. III. t. 30.). An iure a pensylvanico distinguatur, non ausim equidem decernere, nisi comparatis pluribus utriusque speciei exemplis. De serpentibus in altera huius operis parte, serpentes et batrachia cum testudinum paucis speciebus amplectente, disputabo. Hoc tamen nunc iam praemonere placet, Colubrum, quem *venustissimum* Neuwiedii putaveram, licet colore similem, specie differre, nec Elapem, quem pro *corallino* olim sumpsi, cum hac Brasiliensi specie prorsus convenire, sed novam rectius constituere, inter E. fulvum et corallinum quasi intermediam.

Ceterum multa adhuc exploranda restant, quae ab natali animalium regione remotus ex paucis exemplis frustra coneris eruere. Utinam igitur Mexicani Zoologi absolvant atque perficiant quae ipse, cui viva animalia indagare non licuit, inchoare tantum potui, et errores indulgenter corrigant, qui

ut in ceteris humanis rebus, ita in tali potissimum opere non deerunt. Maximi imprimis momenti erit, amphibiorum huius terrae sedem, ad quantam soli altitudinem adscendat, explorari, quum e coeli temperie, quae huic regioni ob summam soli iniquitatem diversissima contigit, magnam in amphibiorum distributione varietatem oriri in promptu sit.

Exhortantibus amicis ut morem gererem, systematis saurorum prodromum adieci, qui quo longius a perfectione abest, eo magis prodromi nomine appellandus erit. Etenim multorum animalium anatomen, quae sola suum cuique locum assignare debet, suscipere nondum potui; permulta meis oculis videre mihi non licuit, qui ditissima Europae musea nondum visitaverim. Hanc etiam ob causam omnes singulorum generum species enumerare non potui; quas si dare voluissem, in extricandis synonymis multum loci consumere ac diagnoses similium plures adnectere, quin integram fere synopsin dare debuissem, quae ab huius operis consilio alienissima erat. Plura de generum speciebus earumque synonymia, quamvis haud semper ab erroribus libera, in Wagleri systemate invenies, quo, nostrum tanquam clavem adhibens, facilius spero uteris. Paucas igitur species, purissimam generis indolem exhibentes, ubique attuli, hac in re Illigeri immortalis exemplum, quod in eximio mammalium et avium systematis prodromo edidit, secutus, cuius verba: „ne praetervideant lectores, se prodromum tantum, nec systema absolutum et elaboratum offerre" quin in fine praefationis mea faciam, aegre abstineo.

Dabam Berolini, ineunte mense Augusto MDCCCXXXIV.

VERTEBRATORUM CLASSIS III.

AMPHIBIA.

Animalia ovipara, pulmonibus spirantia, sanguine frigido, cordis atrio duplici [1]), ventriculo simplici aut parum diviso.

ORDO I.

Sauri.

Corpus squamosum, rarius loricatum vel squamarum rudimentis annulatum, pedibus plerumque quatuor suffultum, rarius bipes pedibusve veris destitutum.

Maxilla utraque dentata; mandibulae rami apice per symphysin iuncti.

Cranium genuinis ex parte membranaceum, spuriis omnino solidum. Os tympani illis mobile, his cum cranio connatum. Ossa faciei omnibus concreta, immobilia.

Oculi palpebris clausiles, iisve rarius destituti, in vermicularibus (Amphisbaenis) sub cute latentes.

Aures perfectae, cavo tympani plerumque, cochleae rudimento semper instructae, paucis cute obductae.

Lingua plerisque mobilis, perpaucis vaginata, osse hyoideo omnibus suffulta.

Thorax genuinis perfectus. Pulmones duo, rarius altero obsoleto unus. Penis plerisque duplex. Coitus verus. Metamorphosis ovo exclusis nulla.

Excursus I. De naturali amphibiorum systemate cogitanti iam pridem quam maxime mihi arrisit Merremii, Leuckarti, Fitzingeri aliorumque sententia, nuper ab eximio Muellero nostro gravissimis firmata argumentis, qua amphibiorum classem in duas distribuunt partes, quarum altera, Pholidotorum vel Monopnoorum nomine testudinum, saurorum ac serpentum ordines comprehendit, altera batrachia sola, quae Nuda vel Dipnoa vocant, amplectitur. Batrachia enim si cranii articulationem, corporisque tegumenta, si generationem atque metamorphosin et cetera spectas, penitus a ceteris amphibiis diversa, ac quasi contraria iis apparere, nemo negabit. Haud propterea tamen Brogniarti systema tetramerum, temporis diuturnitate iam quodammodo firmatum, reiiciam, nec, quemadmodum pholidota maximo cum iure a plerisque scriptoribus in tres dividuntur ordines, ita etiam batrachia in tres pluresve ordines distribuerim. Quamvis enim iam ab initio statim

Nota 1. Cordis atrium duplex anno MDCCCXXVIII. Aprili mense in ranis temporariis tribus suffocatis inveneram, eamque observationem cum praeceptore egregio, beato Rudolphio, protinus communicaveram. Qui quum in re toties tractata me errasse censeret et ut rem iterum tractarem admoneret, cum Schlemmio nostro, versatissimo rerum anatomicarum indagatore, Ranas esculentas duas adhuc viventes aperui. Sed nunc qui fieri potuerit non video, ut septi, quod antea tam pulchre videram, tunc ne vestigium quidem nobis appareret. Itaque erroris falso convictus rem feliciter inchoatam inconsultius reliqui.

singularis illa me minime fugerit similitudo, qua batrachia pholidotorum ordines triplici quasi typo referunt, et quae summos olim viros ita fefellit, ut salamandras lacertis, et coeciliam serpentibus adscriberent, rem tamen longe aliter sese habere opinor. Quanta enim saurorum varietas, si eam cum salamandris vix tria constituentibus genera comparas, aut quanta serpentum multitudo, si cum coeciliarum paucitate eam contendis! Quae quum ita sint, quae potius unius ordinis sectiones videntur, iis ordinum dignitatem haud tribuerim; sed batrachia ad ceteros amphibiorum ordines simili modo se referre puto, quo marsupialia ad falculatorum mammalium ordines sese habent. Haec enim quum a ceteris mammalibus generationis organis, generatione ipsa ac pullorum nutritione differant, quamvis intimo cognationis vinculo cohoereant, maximam tamen in dentium structura ac reliquo nutritionis apparatu diversitatem ostendunt, quibus alias ad ordines distinguendos iure utimur. Nec defuerunt, qui hunc ordinem vere naturalem in plures vellent distrahere; sed frustra; nam et formarum paucitas obstat, et si didelphydes ac dasyuros feris, et phascolomyn gliribus velis adscribere, haec et ipsa ab utriusque ordinis typo quodammodo recedunt, et frugivora restant, nulli ceterorum mammalium ordini rite adiungenda. Rectius igitur egisse videntur, qui marsupialium ordinem feris atque gliribus quasi a latere esse statuerunt, sic nimirum, ut paucis generibus feras, uno glires referrent, maiori autem generum numero familiam inter utrumque ordinem intermediam constituerent. Similiter batrachia non nisi unum eumque infimum amphibiorum ordinem et inter pholidota piscesque intermedium constituere opinor, qui ut maiori formarum numero peculiarem ranarum typum constituit, testudines non nisi ex longinquo affectantem, ita lacertas salamandrarum generibus, tam perfectis, quam in evolutione cohibitis, et apodem serpentum ordinem coeciliis refert. Nec propter cranii diversitatem Salamandras, Derotremata et Proteidea in diversos ordines distraherem. Id enim batrachia a piscium indole retinuisse videntur, ut cranii structura nondum stabilem certumque typum nacta sit, sed eum pro familiarum diversitate diversum ostendat.

Sic demum intimam Coeciliarum, Typhlinorum et Amphisbaenarum, qua inter se cohaerent, relationem optime elucere puto, alioquin, si batrachia in plures distraxeris ordines, penitus occultatam. Hae enim amphibiorum tribus quum maximam externi habitus similitudinem prae se ferant, qui eas eadem familia comprehendere vellent haud defuerunt. At nulla tenentur cognatione, sed analogiam tantum ostendunt, i. e. ad alienam pertinentes stirpem in suo quaeque ordine eandem referunt speciem, vermiculari habitu, totius corporis continuitate, caudae obtusissimae nimia brevitate, oculorum coecutie, solidiori denique capitis compage insignem. Quibus vero quo longius a sui ordinis typo recedunt, eo maiori inter se similitudine tenentur. Crescente enim analogiae magnitudine diminuitur ipsorum cum suis cognatio. Hinc factum est, ut et Coeciliae diu serpentibus adiungerentur, et Amphisbaenae etiamnum ab ipso Muellero iis addicantur. At vereor, ut hoc recte fiat. Nam quod coeciliae in batrachorum serie, quod Typhlini inter serpentes sunt, id in Saurorum ordine Amphisbaenas esse, persuasissimum mihi habeo. Amphisbaenae enim tantum abest, ut cum serpentibus genuinis omnino conveniant, ut in plurimis ab iis discedant longissime. Mitto cranii structuram, qua ab utriusque amphibiorum ordinis typo alienantur, licet solidiori maxillae inferioris compage ad sauros propius accedant. Cetera, ut ita dicam, inter utriusque ordinis typum fluctuant. Lingua, sicuti in brevilinguibus saurorum generibus papilloso-squamosa, tenuis, ac breviter bicuspis, osse hyoideo, magnam cum eodem Ptychopleurorum osse analogiam referenti, suffulta est, et vagina, in serpentum linguis nunquam deficienti, prorsus destituitur. Glottis pone basin linguae in ipso eius angulo iacens a serpentino typo maxime abhorret. Pulmo quidem unicus, ultra modum elongatus atque alterius parvo instructus rudimento, aliquam cum serpentibus affinitatem ostendit, at sub corde demum incipit. Cor ipsum ab osse hyoideo longius, quam in genuinis lacertis remotum, serpentum magis, quam saurorum typum exhibere videtur, at in Acontiae genere, ad lacertas sine dubio pertinente, eundem ostendit situm. Vasorum sanguiniferorum decursus idem fere, qui serpentibus. Intestinorum tractus, inter lacertinum ac serpentinum quasi intermedius, anfractus minus quam in serpentibus complicatos offert, et coeco satis absoluto gaudet. Hepar magis quidem quam in lacertis elongatum atque nimis angustum, nec tamen integrum, sed profunde bifidum, cystidem, in serpentibus ab hepate maxime remotam, in ipso loborum angulo fovet. Systema uropoëticum quantum a serpentino typo discrepat, tantam cum genuinis lacertis similitudinem nobis offert. Renes enim statim supra ipsum anum siti, ureterem parvum in cloacam mittunt. Vesica denique urinaria, qua serpentes ad unum omnes carent, in amphisbaenis adest, cylindrica quidem ac propter nimiam cavi abdominalis angustiam ipsa nimis angustata, sed Acontiae vesicam ex asse aequans. Glandulae denique cutaneae in plerisque Amphisbaenarum adsunt, supra anum poris hiantes, quales in saurorum ordine saepe, in serpentibus nunquam invenimus. Haec vero omnia si Amphisbaenas inter utrumque ordinem ambigere docent, nosque de naturali earum sede dubios retinent, ipsa natura hanc protinus dubitationem

tollit, portentosa nimirum Chirotae specie, quem licet Amphisbaenis apodibus ceteroquin simillimum finxerit, anticis tamen membris iisque satis absolutis ac subpentadactylis instruxit, prohibitura quasi, quominus a genuinis sauris dubias Amphisbaenarum formas resecaremus.

Quae si ita sunt, Amphisbaenas saurorum ordini pari iure adnectendos censeo, quo Typhlopes et Uropeltinos Muelleri serpentibus, Coecilias batrachiis adnumeramus. Quarum familiarum quaeque ab ordine suo longius discrepat[2]), ideoque alias in sua stirpe exposcit formas, quae ipsae aliquantum, licet minus a typo alienatae, hiatum illum inter genuinas illorum ordinum formas atque vermicularia, ut ita dicam, amphibia apertum explent. Sic Coeciliae cum Proteideis et Salamandris Amphiumatum brevipede genere cohaerent, sic Ilysiarum genus Typhlinos cum genuinis serpentibus connectit, sic denique Amphisbaenae per Acontiam cum sauris conciliantur. Ut Amphisbaenarum familia, inter sauros atque serpentes ambigua quasi, utriusque ordinis proprietates cum vermicularium amphibiorum habitu iungit, ita etiam Crocodili lacertinum typum aperte retinent, sed mammalium quibusdam proprietatibus, ut ita dicam, commixtum, unde hos etiam, quamvis saurorum a typo aliquantum discedant, eidem ordini adnectendos censeo. Eorum vero cum genuinis saurorum familiis cognationem tum demum nobis penitus apparituram puto, deperdita ubi saurorum genera melius nobis innotuerint, quae superstitibus nunc quidem frustra inserere conamur. Quatenus enim nunc nobis cognita sunt, hoc saltem videntur demonstrare, saurorum typum maiorem formarum varietatem induere posse, quam superstites solos respicientibus nobis videtur. Haec autem omnia seriori tempori relinquens, triplicem coaevorum saurorum typum respiciens, totidem eorum hosce pono subordines:

SUBORDO I.

Loricati.

Dentes **maxillarum alveolis iniuncti.** ***Maxillae*** **sinuosae, labiis liberis destitutae.** ***Oculi*** **aperti, palpebris praediti.** ***Aures*** **conspicuae, valvula clausiles.** ***Lingua*** **brevis, mento tota affixa, immobilis.** ***Cutis*** **squamosa, scutellis dorsalibus osseis per fascias transversas in loricam durissimam coalitis.** ***Cauda*** **corporis longitudinem superans.** ***Pedes*** **quatuor.** ***Ani*** **rima longitudinalis.** ***Penis*** **simplex.**

Cranium omnino solidum. Orbita a tergo clausa. Os tympani cum cranio concretum. Os parietale simplex ansam omnino nullam emittit. Ossa palatina et pterygoidea sutura mediana inter se invicem concreta, choanis narium canalem longissimum praebent. Trabecula ossea (columella) nulla. Narium aperturae superae ab ossibus intermaxillaribus undique inclusae. Aures tympano ossiculisque auditoriis instructae. Thorax perfectus. Claviculae posteriores tantum adsunt (claviculis avium respondentes) claviculae anteriores (avium furculae et claviculis mammalium respondentes) desiderantur. Costarum abdominalium cartilagines lineae albae utrinque adhaerentes abdomen inferne protegunt. Ossa pubis plana, oblique antrorsum versa, costarum abdominalium apparatum excipiunt. Pulmones duo cellulosi, bronchiis in ramos divisis.

Familia unica Crocodilorum. Genera pauca.

SUBORDO II.

Squamati.

Dentes **maxillis innati, vel earum lateri interno adnati.** ***Maxillae*** **labiis adpressis, margine liberis obductae.** ***Lingua*** **libera, mobilis, aliis elongata bifurca, aliis brevior apice attenuato bicuspis vel plus minusve excisa, aliis crassa, vix emarginata.** ***Oculi*** **aperti, plerisque palpebrosi, rarius cute attenuata obducti ac palpebris veris destituti.** ***Aures*** **nunc apertae, nunc sub cute latentes.** ***Cutis*** **squamosa.** ***Cauda*** **trunci longitudinem plerumque aequans, saepissime superans.** ***Ani*** **rima transversa.** ***Penis*** **duplex.** ***Pedes*** **quatuor, aut posticorum rudimenta solum aut omnino nulli.**

Animalia polymorpha, nunc lacertino habitu quadrupedia, nunc trunco immodice elongato pedibusque mutilis nullisve serpentinam speciem affectantia.

Nota 2. Coecilias a batrachorum typo eodem fere discrepare modo, quo a genuinis sauris Amphisbaenae, ut alia multa, ita maxime oculatissimi Nitzschii testatur observatio, qui, iam ante hos decem annos, in Coeciliae cuiusdam Musei Halensis specimine *penem simplicem* detexit, quam observationem et cum amicissimo Fitzingero, et mecum benevole communicavit.

Cranium antica parte membranaceum. *Orbita* plerisque a tergo clausa. *Os tympani* mobile, nec cum cranio concretum, sed ex ansa ossis occipitalis lateralis, ossis temporalis ac mastoidei suspensum. *Os parietale* duplicem plerumque ramum emittit, cum osse temporali ac mastoideo sui lateris coëuntem, rarius simplicem os temporale utrumque excipientem. *Ossa palatina* a se invicem remota; *pterygoidea* a sphenoideo diremta, postice longissime divergentia. *Trabecula* utrinque ossea (columella Cuvieri) ossibus pterygoideis inferne insistens, superiori parte ossi parietali acclinata. *Narium aperturae* in utroque ossis intermaxillaris latere sitae. *Thorax* plerisque perfectus. *Apparatus* sterno-scapularis excepto Acontia omnibus [3]), anomalis anguiformibus minus quidem perfectus, at binas semper claviculas utrinque exhibens anteriorem furculae avium et mammalium claviculae, alteram posteriorem s. coracoideam claviculae avium comparandam. Pulmones duo aequales vel subaequales bronchiis simplicibus indivisis adhaerentes.

Familiae multae. Genera permulta.

SUBORDO III.

Annulati.

Dentes **maxillis adnati iisve rarius concreti.** ***Maxillae*** **labiis adpressis, margine liberis obductae.** ***Lingua*** **libera mobilis.** ***Aures*** **tympano privatae, sub cute latentes.** ***Oculi*** **parvi, superinducta cute obcoecati.** ***Corpus*** **continuum, vermiculare.** ***Cauda*** **continua, brevissima, obtusa.** ***Cutis*** **annulata, annulis impressa scutellorum vestigia exhibentibus.** ***Pedes*** **plerisque omnino nulli, rarius antici.** ***Ani*** **rima transversa.** ***Penis*** **duplex.**

Cranium omnino solidum. Orbita incompleta, osse orbitali s. frontali posteriore ac zygomatico deficientibus. Os tympanicum cum cranio connatum, oblique pronum. Os parietale simplex, processu posteriori lato deorsum flexo ossi occipitali tecti ad instar incumbens. Columella nulla. Ossa temporalia et mastoidea haud distincta. Pterygoidea et palatina latissima orbitae fossaeque temporalis fundum constituentia. Pulmo unicus, angustus, cylindricus cum alterius parvo rudimento. Apparatu sterno-scapulari apodes omnino carent; Chirotae, pedibus anticis praedito, sternum contigit, ossiculo scapulo-claviculari utrinque instructum, sed furcula privatum.

Familia unica Amphisbaenarum, genera pauca amplectens.

Excursus II. Ex iis, quae modo exposuimus, satis, opinor, apparebit, saurorum typum non nisi in medio ordine purum exhiberi, ad extremos vero fines nimis alienari. Idem in omnibus regni animalium provinciis, dummodo naturalibus limitibus circumscriptae sint, semper invenimus. Intermedias praeterea sectiones ac normam maxime sequentes, maximam ubique generum copiam et ditissimam formarum varietatem ostendere videmus; perpauca vero genera, paucissimasque familias abnormibus sectionibus contineri. Haud igitur mirandum, quod etiam in saurorum ordine prima ac postrema sectio unam tantum familiam continent paucisque generibus pollent, altera vero, quae medium tenet, familiis generibusque multis iisque polymorphis abundat. Hic etiam summa formarum atque vitae generis varietas. Alia lento incedentia gressu in arboribus victitant, alia humi velociter currunt vel serpentino labuntur motu. Inde magna externi corporis dissimilitudo, diversissima trunci specie ac membrorum perfectione parta, sed internarum, quae quidem typum complectuntur, partium magna in summa varietate conformitas. Qua in varietate formarum duas facile cohortes agnoscimus, alteram eorum, quos lingua tenuiori furcata vel leviter excisa insignes *Leptoglossos* vocare placet, alteram eorum, quibus lingua crassa, obtusa, apice subintegra contigit, ideoque *Pachyglossis* nomen imponere in promptu est. In utraque autem plures continentur familiae, quarum aliae lacertinum habitum integrum semper servant, aliae vero eundem vel in omnibus vel in inferioribus, saltem generibus plus minusve immutatum ostendunt. Sic in leptoglossorum cohorte qui elongata furcataque lingua gaudent, *Fissilingues*, lacertinam nunquam deponunt speciem. Illae vero familiae, quas propter breviorem linguam communi *Brevilinguium*

Nota 3. Etiam in Angue fragili nullam e praecipuis apparatus sterno-scapularis partibus deficere puto. Hunc enim si cum eodem apparatu Scincorum et cum imperfecto Pseudopodis, qualis a Müllero (Tiedemanns u. Treviranus Zeitschr. f. Phys. IV. 2. p. 227. t. 19. fig. 2.) describitur, comparas, non solum discus sterni cartilagineus adest, verum etiam ossis sternalis intermedii (*os impair* Cuv.) parvum invenitur rudimentum, cartilagini priori incumbens, quod e Scincorum typo formam crucis, apud illos singularem, paene totam retinuit et ab eodem Pseudopodis osse (lit. *a* ic. Müll.) non nisi processuum lateralium brevitate discrepat. Claviculae anteriores gracillimae a latis iisque magno foramine pertusis Scincorum claviculis longius recedunt, sed cum iisdem Pseudopodis ossibus (*c.* illius ic.) apprime conveniunt. Claviculas posteriores sive coracoideas cum inferiori scapulae parte, hic ossificata, in Pseudopode cartilaginea, concrevisse puto. Sic earum partium, quas Ill. Müllerus ex Pseudopode descripsit, hic nullam equidem desidero.

nomine appellavi, maiorem exhibent diversitatem, quippe quae multa contineant genera, quae lacertinum habitum inviolatum prae se ferunt atque alia, quae truncum teretem, longissimum, pedibusque nunc quatuor brevissimis oligodactylis suffultum, nunc anterioribus tantum vel omnibus destitutum, aures praeterea sub cute saepius latentes oculosque palpebris privatos ostendunt. Quibus quum propius ad serpentinam speciem accedant, factum est, ut zoologorum multi, externum habitum magis quam internam fabricam respicientes, haec inferiora brevilinguium genera veluti Anguem, Acontiam, Ophiosaurum serpentibus falso adscriberent. — Altera autem ex parte in Pachyglossorum serie similiter et genuinos et spurios invenimus. Duae enim Agamarum familiae dum lacertinum habitum integrum semper retinent, tertia Ascalabotarum familia e salamandrarum habitu nonnihil in suum convertit, ideoque externo habitu a lacertarum typo paululum recedit. Quam quum diversitatem in geographica familiarum distributione magni momenti esse intelligerem, illas utriusque sectionis familias, quoniam a squamatorum typo nunquam alienentur, typicas sive genuinas, has vero, quoniam aliquatenus ab eo recedant, spurias appellari suasi, easque certis legibus per orbem terrarum ita dispersas esse ostendi, ut typicarum vel familiae vel saltem totae tribus in alterutra tantum hemisphaera degant, earum vero genera, quas spurias appellaveram, in utroque orbe promiscue inveniantur. Rem integram iam ante hos quinque annos in coetu naturae curiosorum in hac urbe conventorum breviter exposui, quam commentationem serioribus adnotationibus adstructam in Ill. Okenii Iside anni 1829 insertam invenies. Quod pauca tantum expertus audaciori coniectura tunc temporis hariolatus eram, id uberior sequentium annorum usus verissimum utique confirmavit. Hinc eandem etiamnum foveo sententiam, eo tamen limitatam, quod Lacertarum familiam, quam genuinis antea adscripseram, nunc inter genuinas et spurias leptoglossorum familias ambiguam puto. Cranii enim structura, osseo orbitarum tegmine, ossis hyoidei specie, linguae apicem versus angustatae brevitate cum Brevilinguibus quidem convenit, at cutis tenuitate, bicuspide linguae apice, superficiali paene tympani membranae situ ad Fissilingues proxime accedit. Sic inter utramque sectionem quasi intermedia in geographica etiam habitatione utriusque legem sequi videtur. Quaecunque enim genera pedibus modicis et pentadactylis, modicaque trunci longitudine, ac palpebris absolutis perfectiora se exhibent, antiquo orbi, quantum scimus, omnia adscripta sunt, quae vero graciliori habitu, brevioribus pro corporis longitudine pedibus, nimiaque superioris palpebrae brevitate ad inferiora Brevilinguium genera propius accedunt, in utroque orbe habitare videntur. Huc pertinere censeo Chirocoli et Cercosaurae genera, a Waglero instituta. Chirocoli (Heterodactyli Spix.) species unica, mihi nondum visa, Brasiliam incolit. Cercosaurae species altera, C. Schreibersii m. Tachydromus Schreibersii Fitz. in eadem regione degit; alterius, C. ocellatae Wagl. patriam auctor ipse ignorabat. Notopholis, Cercosaurae proxima, in antiquo tantum orbe invenitur. Tropidosaurae genus, a Boieo institutum, mihique nondum examinatum, sed Grayi testimonio Scincis quam Lacertis similius, in eadem hemisphaera degit.

Hisce seriebus, squamatorum saurorum totam fere summam amplectentibus, tertia accedit, eaque sui prorsus generis, mira formae singularitate ac raritate specierum insignis. Chamaeleontes dico, externa corporis statura, si iaculatoriam linguam, pedes scansorios oculosque exceperis, Dendrobatis Pachyglossorum proximos, ad quos eandem fere rationem habent, quam scansoriae aves, imprimis picorum genus, ad avium canorarum gregem manifestant.

His igitur praemissis Pholidosaurorum haec fere prodibit naturalis dispositio:[4])

Nota 4. Si una eaque continua serie saurorum genera enumerare malis, inversum nostri systematis ordinem commodissimum invenies, sic scilicet, ut ab Ascalabotis incipiens Pachyglossorum seriem initio, secundo loco Chamaeleontes ponas, ac Leptoglossorum seriem postremam tibi serves. Huius enim infima genera Acontiam et Typhlinen facillimum ad Amphisbaenas transitum struere nemo non videt. Attamen quum harum familiarum multae sibi a latere potius ac quasi parallelae esse videantur, nexus naturalis in tali dispositione saepenumero turbatur.

CONSPECTUS SERIERUM ET FAMILIARUM.

Series I. Leptoglossi.

Lingua aliis elongata, angusta, apice furcata, aliis brevior basi lata, apice attenuato bicuspis vel plus minusve excisa. Oculi palpebris duabus conniventibus clausiles, rarius palpebra superiori paene, vel utraque prorsus destituti; pupilla rotunda. Truncus cylindraceus. Membra genuinis quatuor, anguiformibus vel posteriora tantum, vel omnino nulla.

Os parietale simplex ramos duos divergentes retrorsum emittens.

Sectio II. (a typo interdum recedens.)

Brevilingues.

Lingua brevis, squamoso-papillosa, apice attenuato obtuso plus minusve excisa, rarius bicuspis. Aures interdum latentes. Oculi rarius palpebris destituti. Laminae supraorbitales plerumque rigidae, osseae vel subosseae. Habitus plerisque lacertinus, nonnullis anguiformis. Membra saepius quatuor, interdum posteriorum rudimenta tantum, interdum nulla.

Crusta calcarea crassa vel tenuior, scutellorum vestigia servans, ossa capitis superne obducit. Fossa temporalis plus minusve operta. Dentes adnati.

Utriusque orbis incolae.

- A. Lingua apice bicuspis: *Fam.* 1. *Lacertae.*
- B. Lingua apice obtuso plus minusve excisa:
  - a. Pholidosis verticillata:
    - Squamae subquadratae, plicatura lateralis: *Fam.* 2. *Ptychopleuri.*
    - Squamae acutae, angustae, in abdomine dorsoque aequales: *Fam.* 3. *Chamaesauri.*
  - b. Pholidosis imbricata, laevigata:
    - Palpebrae: *Fam.* 4. *Scinci.*
    - Palpebrae nullae: *Fam.* 5. *Gymnophthalmi.*

Sectio I. (typica.)

Fissilingues.

Lingua elongata, angusta, apicibus longissimis filiformibus bifurca. Aures semper conspicuae. Membrana tympani superficialis. Oculi palpebris nunquam destituti. Laminae supraorbitales cutaceae. Habitus lacertinus. Membra quatuor.

Crusta calcarea capitis ossa obducens nulla. Fossa temporalis superne inoperta, osse orbitali posteriore cum temporali coeunte extrinsecus limitata. Dentes maxillis innati vel earum lateri interno adnati.

- a. Caput superne clypeolato - squamosum, pyramidatum. *Fam.* 1. *Monitores.* Antiqui orbis incolae.
- b. Caput tuberculato-squamosum depressum: *Fam.* 2. *Trachydermi.* Novi orbis incolae.
- c. Caput pyramidatum, regulariter scutellatum: *Fam.* 3. *Ameivae.* Novi orbis incolae.

Series II. Rhiptoglossi.

Lingua iaculatoria, cylindrica, apice incrassata. Oculi palpebra circulari, foramine parvo pertusa, bulbique motum comitante, undique obducti. Pupilla rotunda. Truncus valde compressus. Membra quatuor.

Os parietale ramum simplicem ossa temporalia adscendentia excipientem retrorsum emittens.

Sectio I.

Vermilingues.

Dentes cum maxillarum tomiis concreti. Aures sub cute latentes. Membra macilenta. Pedes pentadactyli, scansorii.

Fam. Chamaeleontes.

Antiqui orbis incolae.

Series III. Pachyglossi.

Lingua brevis, crassa, papillis brevibus filiformibus dense vestita, apice obtuso vix emarginata. Trunci forma varia. Membra omnibus quatuor.

Os parietale simplex vel duplex ramos duos divergentes retrorsum emittens. Ossa capitis crusta calcarea nunquam obducta.

Sectio I. (typica.)

Crassilingues.

Oculi palpebris conniventibus clausiles, pupilla rotunda. Aures rarius sub cute latentes.

Fossa temporalis superne inoperta, osse orbitali posteriori et temporali extrinsecus limitata. Orbita a tergo clausa. Os parietale simplex. Dentes innati vel adnati.

- a. Truncus plus minusve compressus, in dorsi fastigio carinatus vel cristatus.
  - *Fam.* 1. *Dendrobatae.*
  - α. Dentibus innatis: Emphyodontes. Antiqui orbis incolae.
  - β. Dentibus adnatis: Prosphyodontes. Novi orbis incolae.
- b. Truncus depressus, dorsi fastigio subplano, plerumque non cristato.
  - *Fam.* 2. *Humivagae.*
  - α. Dentibus innatis: Emphyodontes. Antiqui orbis incolae.
  - β. Dentibus adnatis: Prosphyodontes. Novi orbis incolae.

Sectio II. (a typo recedens.)

Latilingues.

Oculi palpebris haud conniventibus, inter orbitae parietes absconditis instructi, altera anteriore absoluta, altera posteriore obsoleta; pupilla elliptica, verticalis.

Fossa temporalis undique aperta. Orbita a tergo interrupta. Os parietale duplex. Dentes maxillarum lateri interno adnati.

Fam. Ascalabotae.

Utriusque orbis incolae.

CONSPECTUS GENERUM [5]).

SUBORDO I. LORICATI.

FAM. 1. *CROCODILINI.*

Nares superae, in apice rostri, valvula clausiles. Pupilla oculorum verticalis, oblonga. Dentes conici, magnitudine inaequales. Cauda validissima, compressa, crista serrata insignis. Pedes tetradactyli, palmati vel semipalmati; antipedes pentadactyli, plerumque fissi; digiti externi in utrisque membris mutici.

Utriusque orbis incolae.

* Genus 1. RHAMPHOSTOMA. *Wagl.* Antipedes colligati; pedes palmati; rostrum longissimum gracile. Dentes subaequales.

Indiae orientalis indigenae: Croc. gangeticus. Cuv.

Gen. 2. CROCODILUS. *Cuv.* Antipedes fissi, pedes palmati; rostrum mediocre; dens mandibulae quartus maxillae sinu marginali excipiendus.

Utrumque orbem incolentes: Cr. vulgaris Cuv.

Gen. 3. ALLIGATOR. aut. (Champse Wagl.) Antipedes fissi; pedes semipalmati vel subfissi; dens mandibulae quartus in foveam maxillae internam recipiendus.

Pleraeque species, fortasse omnes, novo orbi adscriptae: Crocodilus Lucius Cuv.

SUBORDO II. SQUAMATI.

Series I. Leptoglossi.

Sectio I. Fissilingues.

FAM. 1. *MONITORES.*

(*Les Monitors proprement dits. Cuv. Lacertae thecoglossae pleurodontes. Wagl.*)

Lingua **laevis, basi vaginata, angusta, longissima, apicibus filiformibus longissimis furcata.** ***Caput*** **pyramidatum, tetraedrum, elongatum, supra clypeolis parvis squamiformibus vestitum.** ***Dentes*** **basi dilatata maxillarum lateri interno adnati; palatini nulli.** ***Laminae supraorbitales*** **cutaceae, ossiculo superciliari accessorio antice suffultae.** ***Truncus*** **elongatus.** ***Cutis*** **sulculis obliquis transversisque reticulatim exarata; squamae in quovis linisco singulae, tessellares, ex areola squamulosa quasi emergentes.** ***Pori femorales*** **nulli.**

Pars rostralis cranii longiuscula, depressa. Os nasale unicum, narium foveas parum protegens; ossa frontalia intermedia duo; os zygomaticum gracile, orbitale posterius haud attingens; hinc orbita a tergo interrupta. Ossiculum superciliare accessorium, ossi frontali s. orbitali anteriori affixum.

Antiquum orbem incolentia.

A. *Cauda compressa.*

Gen. 1. POLYDAEDALUS. *Wagl.* (Varanus. Fitz.) Nares inter rostri apicem oculosque intermediae, oblongae. Dentes maxillares anteriores conici acuti, posteriores crassi obtusissimi.

Monitor niloticus. Cuv.

Gen. 2. HYDROSAURUS. *Wagl.* (Tupinambis Fitz.) Nares rostro quam oculis propiores. Dentes maxillarum acuti compressi, ancipites, acie minutissime serrati.

Monitor (Tupinambis) bivittatus. Kuhl.

B. Cauda teres:

Gen. 3. PSAMMOSAURUS. *Fitz.* Nares oculis proximae angustae obliquae. Dentes maxillarum acutissimi, compressi, subrecurvi, ancipites, acie minutissime serrati.

Varanus Scincus. Merr.

FAM. 2. *TRACHYDERMI.*

Caput **tetraedrum, depressum, superne tuberculato-squamosum, in rostro lato obtuso scutellatum.** ***Lingua? Dentes*** **maxillarum lateri interno adnati Monitorum; palatini nulli.** ***Habitus*** **ac** ***pholidosis*** **trunci praecedentium, at squamae tuberculiformes osseae.** ***Pori femorales*** **nulli.** ***Palmae plantaeque pentadactylae,*** **unguiculatae.**

Cranii structura incognita. Novi orbis incolae.

Nota 5. Genera mihi nondum visa, quae pauca sunt, asterisco notavi eorumque characteres, ne in enumeratione desiderentur, ab aliis scriptoribus mutuatus sum. Maioribus semper litteris ea indicantur, quorum species in republica Mexicana inveniuntur.

Genus 1. HELODERMA, *Wiegm.* (Isis 1829.) Caput depressum, latissimum, obtuse trigonum, tetraedrum. Dentes conici, acutissimi, sulcati. Nares ad apicem rostri laterales. Digitus quartus quintusque plantarum aequales. Cauda teres.

Typ. *H. horridum* in nostro opere describitur.

FAM. 3. *AMEIVAE. Cuv.*

(*Lacertae autarchoglossae acrodontes. Wagl.*)

Caput pyramidato-tetraedrum, superne scutellis magnis, planis, regularibus vestitum, in occipite extremo plerumque squamosum. *Supercilia* cutacea, neque ossiculo superciliari, nec laminis osseis suffulta. *Lingua* emissilis, elongata, squamuloso-papillosa, bifurca, apicibus longissimis laevibus, basi vaginae rudimento tenui nonnunquam inclusa. *Dentes* nonnullis maxillarum tomiis innati, plerisque interno earum lateri adnati[6]; dentes palatini paucis. *Collum* subtus biplicatum. *Dorsum* squamosum; *abdomen* scutatum. *Pori* femorales. *Palmae plantaeque* plerisque pentadactylae, unguiculatae.

Ossa capitis solidiora ac crassiora quam in Monitoribus. Pars rostralis capitis brevior, nec ut in illis depressa. *Ossa nasalia* duo, narium foveas superne obtegentia. *Os zygomaticum* orbitale posterius attingit; hinc orbita a tergo clausa. *Os frontale* intermedium unicum. Foveola glandularis in osse parietali nulla.

Ossis hyoidei corpus bifurcum ypsiloideum, cuspide antica brevi; cornua anteriora gracilia ex articulis binis constantia, altero antrorsum verso, altero longiori tenuiori, appendici laterali prioris affixo ac posteriori cornu, e corpore retrorsum utrinque prodeunti, parallelo.

Genera omnia novo orbi adscripta.

I. Dentes maxillarum tomiis innati, coronide simplici; pedes utrique pentadactyli.

Gen. 1. THORICTIS. *Wagl.* (Dracaena. Daud. Ada. Gray.) Squamae dorsi inaequales, maiores ovales, carinatae; cauda compressa, crista duplici serrata. Dentes maxillares anteriores obtuse conici, posteriores hemisphaerici, subplani. Lingua?

Dracaena guianensis. Daud. Lacerta Dracaena. Schneid.

Gen. 2. PODINEMA. *Wagl.* (Monitor. Fitz.) Squamae dorsi aequales parvae; abdominis scutella angusta numerosa; cauda parum compressa inermis. Lingua vaginae rudimento instructa. Dentes maxillares anteriores conici, posteriores obtusissimi subcompressi.

Lacerta Teguixin. L. Teius monitor. Merr.

II. Dentes maxillarum lateri interno adnati, coronide posteriorum denticulata.

a. plantae (quinto deficienti digito) tetradactylae.

Gen. 3. ACRANTUS. *Wagl.* (Teius Fitz.) Dentes primores 6, maxillares anteriores simplices, posteriores transversi, bituberculati, tuberculis acutiusculis; palatini utrinque terni, conici, suberecti; cauda teres.

A. viridis. Wagl. Lacerta Teyou Daud.

b. palmae plantaeque pentadactylae.

α. Collum subtus biplicatum; collare nullum; scuta abdominalia laevia:

* Gen. 4. CROCODILURUS. Spix. Dentes maxillarum postici trilobi, compressi; primores simplices conici; squamae dorsi aequales; caudae compressae crista duplex serrata. (Thoricti respondens.)

Crocodil. amazonicus. Spix.

* Gen. 5. CTENODON. *Wagl.* Dentes primores scalpro truncato pectinatim incisi; maxillares postici distincte trilobi; cauda teres. Reliqua Podinemae[7]).

C. nigropunctatus. Wagl. Tupinambis nigrop. Spix.

Nota 6. Dentium insertio, primo licet aspectu magnopere prout in eadem familia discrepare videatur, ad normam facile revocatur, ubi in diversis generibus eam accuratius perquisiveris. Sic enim mox tibi persuadebis, dentes maxillarum lateri interno saepius primitusque adnatos esse, nec tomiis earum insistere, quae amicissimi Wagleri sententia fuit. Illam vero et primitivam et normalem dentium insertionem esse, ipsarum maxillarum structura aperte demonstrat, quae uti in Prosphyodontibus ceteris solent, latiores sunt ac profundo latoque sulco ita exaratae, ut exteriorem verticalem, et interiorem horizontalem sulci maxillaris partem possis distinguere. Dentes autem huic sulco ita inserti sunt, ut extremitate infera parti eius horizontali insistant, externo vero partis radicalis suae latere cum interno partis verticalis sulci pariete concreverint, intusque gingiva solum plerumque obducantur. At quum arctius, quam in Prosphyodontibus esse solet, cum maxillis cohaereant, et radicalis eorum portio solito saepius brevior sit, margini tomiorum interdum (e. g. in Acranto) videntur insistere. In paucis denique (veluti in Podinema et Thoricti) portio radicalis dentium crustula ossea intrinsecus obducitur, ut maxillis eos penitus innatos crederes, nisi ipsa maxillarum structura obstaret. Accedit, quod si qui exciderint (quod in Podinema primoribus solis accidere solet) aut violenter effringantur, foveola eorum remanet, quam ne sic quidem in Emphyodontibus observas. Dentitio denique, ab Ill. Cuviero egregie (Ossem. fossil. V. 2. p. 276.) descripta, quippe quae in Emphyodontibus nunquam existat, rem extra omnem dubitationis aleam ponit. Cf. quae infra in Cnemidophori generis descriptione disserui.

Nota 7. An EXYPNESTES. Kaup. Isis. 1826. fasc. I. p. 88., genus a Waglero praetermissum, huc referendum est? Tunc Kaupii nomen, quod melius Exypnistes (ἐξυπνιστής suscitator, qui e somno excitat) scribitur, seriori nomini substituendum erit. — Ctenodontis caput in Museo zootomico nostro servatur, quod solum examinare mihi licuit.

Gen. 6. CNEMIDOPHORUS. *Wagl.* (Ameiva Cuv.) Dentes primores conici simplices, maxillares postici compressi trilobi. Squamae dorsi parvae aequales; cauda teres; crura subtus scutata. Dentes palatini nonnullis.

Teius Ameiva. Merr. — Species 4 Mexicanae in nostro opere desribuntur.

β. Colli plica superior magis obsoleta, inferior squamis maioribus collare mentitur; scuta abdominalia imbricata, carinata.

Gen. 7. CENTROPYX. Spix. (Pseudoameiva. Fitz. Trachygaster. Wagl.) Crura subtus squamosa. Lingua vaginae rudimento instructa. Calcaria prope anum maribus.

Centropyx calcaratus. Spix. — Lacerta striata. Daud.

Sectio 2. Brevilingues.

1. Lingua longiuscula, bicuspis, squamulosa.

FAMILIA 1. LACERTAE.

Caput superne scutatum. Laminae supraorbitales plerisque rigidae, osseae. Oculi palpebris instructi. Dentes adnati. Lingua antrorsum angustata, squamuloso-papillosa, bicuspis, apicibus brevibus, acutis, laevibus. Aures plerisque conspicuae; membrana tympani superficialis. Cutis haud rigida (forcipulo digitove plicatilis), in dorso plerumque squamosa, in abdomine scutata. Plicatura lateralis nulla. Pedes absoluti, plerisque pentadactyli. Pori femorales fere in omnibus. Cauda elongata, teres, scutellis angustis verticillata.

Capitis ossa crusta calcarea, scutellorum vestigia ostendente, obducuntur. Ossa nasalia duo. Frontalia intermedia duo. Os verticale simplex. Ossa frontalia s. orbitalia posteriora utrinque duo; alterum plerumque superius, iuxtaque ossis verticalis marginem situm, fossam temporalem superne explet, alterum inferius angustum os temporale excipit. Laminae supraorbitales osseae, ex osse superciliari accessorio, ossi frontali anteriori affixo, scutellisque superciliorum ossificatis constant Os hyoideum cornibus tribus utrinque instructum, corpore subrhombeo vel obtusangulo, antrorsum cuspidem longam, acutissimam, retrorsum cornua duo postica exserente. Cornua anteriora geniculata, nunc sub geniculis (ut in Scincis) dilatata, nunc (ut in Ptychopleuris) angusta linearia, cornibus intermediis linearibus parallela.

A. *Palpebra utraque perfecta. Laminae supraorbitales osseae rigidae. Palmae plantaeque omnibus pentadactylae.*

Antiqui orbis incolae [8]).

A. Collare e scutellis maioribus in iugulo; pori femorales omnibus; dentes palatini plerisque:

Gen. 1. LACERTA. *Cuv.*

§ Collare margine toto liberum.

α. Scuta abdominalia per rectitudinem disposita, vittas longitudinales formantia:

Subgen. 1. LACERTA. *Wagl.* Tempora scutellata. Scuta duo iuxta scutorum occipitalium (parietalium) marginem externum. Dentes palatini numerosi, conici, oblique introrsum inclinati.

L. ocellata. Daud. — L. viridis. Daud. — L. agilis L. Merr.

Subgen. 2. ZOOTOCA. *Wagl.* Tempora scutellato-squamosa; scuta ad scutorum parietalium marginem nulla. Dentes palatini nulli.

Lac. crocea. Wolf. (L. pyrrhogaster Merr.)

Subgen. 3. PODARCES. *Wagl.* Tempora squamosa. Dentes palatini parvi, obtuse conici erectiusculi.

Lac. muralis. Merr. (L. agilis. Daud.)

β. Scuta abdominalia per lineas obliquas, angulo acuto retrorsum spectanti convergentes, disposita:

Subgen. 4. EREMIAS. Fitz. (in Mus. Vind.) Collare perfectum, solutum. Tempora squamosa. Dentes palatini parvi, obtuse conici, erecti. Digiti simplices.

Lac. velox. Pall. — Lac. variabilis. Pall.

Subgen. 5. SCAPTEIRA. Fitz. (in Mus. Vind.) Collare liberum, sed scutellis parvis squamisve obsitum, hinc minus conspicuum. Dentes palatini nulli (?). Digiti squamis longioribus acutis utrinque fimbriati, falculisque longissimis acutissimis armati.

Lac. grammica. Lichtenst.

Nota 8. Lacertam sexlineatam Americae, septentrionalis incolam, huic sententiae obstantem, ipse nondum potui examinare.

§§ Collare in utroque latere solutum, medio adnatum.

Subgen. 6. ACANTHODACTYLUS. Fitz. (Mus. Vind.) Tempora squamosa. Dentes palatini nulli. Scutella abdominalia per vittas longitudinales rectas disposita. Digiti squamis acutis denticulato-fimbriati.

Lac. Boskiana. Licht. *Doublett. Verz.* (Lac. Boskiana. Daud.? Lac. velox. Edw.?)

B. Collare nullum; plica axillaris utrinque parva, interdum obsoleta:

a. Dorsum squamosum, scutella abdominalia laevia.

α. Pori femorales:

Gen. 2. PSAMMODROMUS. Fitz. Gula squamosa. Nares in scutellorum duorum confinio, in infimo scutelli anterioris angulo. Tempora scutellato-squamosa. Dentes palatini nulli. Squamae dorsi acutae, carinatae, imbricato-fasciatae. Plantae et hypodactylia squamis carinatis denticulato-muricatis aspera.

P. *hispanicus.* Fitz.

Gen. 3. PSAMMURUS. *Wagl.* Gula naresque praecedentis. Tempora scutellata. Squamae dorsi magnae, acutae, carinatae, imbricatae. Dentes palatini acuti, conici, erecti. Plantae et hypodactylia squamis truncato-papillosis instructa.

Psamm. Algira. Wagl. (Lacerta Algira L. Algira barbarica Cuv.)

β. Pori femorales nulli:

* Gen. 4. TROPIDOSAURA. Boje. Squamae dorsi imbricatae, carinatae.

T. *montana.* Boie.

b. Dorsum scutatum, scutella abdominalia carinata.

Gen. 5. TACHYDROMUS. Daud. Dorsi scutella quadrata, carinata, abdominalia subimbricata. Squamae laterum granulosae. Cauda longissima. Pori femorales pauci, subtubulosi.

T. *quadrilineatus.* Daud.

B. *Palpebra superior brevissima, interdum subnulla. Laminae supraorbitales tenues, cutaceae. Dorsi squamae acutae, carinatae, fasciatim dispositae. Caput subdepressum.*

α. Palmae plantaeque pentadactylae. Aures conspicuae.

Gen. 6. NOTOPHOLIS. *Wagl.* S. A. p. 342. (Aspistis. ib. p. 156.) Gula squamosa. Collare subdistinctum liberum. Dentes palatini nulli. Squamae dorsi imbricatim fasciatae. Scutella abdominalia per vittas longitudinales rectas disposita. Pori femorales.

Lac. Edwardsiana. Dug. Ann. de Sc. nat. 1829. t. 14.

Notoph. Fitzingeri. M. supra griseo-virescens, unicolor, scutorum abdominalium seriebus 6. — Sardinia.

Gen. 7. CERCOSAURA. *Wagl.* Mentum scutatum. Gula duplici scutellorum serie. Collare subdistinctum. Scutella abdominalia lata, per vittas longitudinales disposita. Cauda ingens, teres, superne squamosa, subtus scutellata.

C. *ocellata.* Wagl. S. A. p. 158 —

C. *Schreibersii.* m. (Tachydromus Schreibersii. Fitz. in Catal. Mus. Vindob. S. A. affixo p. 50.) Superne olivaceo-fusca, vittis 5 longitudinalibus nigro-fuscis obsoletis, tribus intermediis in caudam excurrentibus. Brasilia.

β. Palmae tetradactylae; plantae pentadactylae. Aures latentes.

* Gen. 8. CHIROCOLUS. *Wagl.* Colli inferioris squamae quadratae, laeves, truncus et cauda squamis alternantibus fasciatim dispositis longis.

Heterodactylus imbricatus. Spix.

2. Lingua apice obtuso plus minusve excisa, rarius integra.

Dentes omnibus adnati. Laminae supraorbitales induratae, subosseae. Oculi palpebris conniventibus rarius destituti. Aures interdum sub cute latentes, plerumque conspicuae, sed membrana tympani plus minusve depressa, in meatu auditorio brevi sita. Habitus aliis lacertinus, aliis trunco graciliori elongato, cauda longissima, pedibusque brevissimis oligodactylis nullisve anguiformis. Cutis dura, rigida. Membrorum mutilatio ab anticis incipit; hinc in diverso digitorum numero propedes minorem semper ostendunt, illisque prorsus deficientibus scelidum adhuc vestigia exstant.

Ossium capitis, crusta calcarea obductorum, structura eadem fere, quae in Lacertis, paucis tantum iisque levioribus notis discrepans. Os frontale intermedium (omnibus?) duplex. Ossa orbitalia posteriora duo utrinque, rarius unum. Os verticale (excepto Pygopode) simplex.

Familiae quatuor exacte sibi hoc modo respondentes:

	Squamae fasciatae carinatae.		Squamae imbricatae plerumque laevigatae.		
	Fam. 3. CHAMAESAURI. Truncus teres, gracillimus, squamis carinatis acutis in abdomine dorsoque aequalibus verticillatus; plicatura lateralis nulla. Aures semper conspicuae.	Fam. 2. PTYCHOPLEURI. Squamae per fascias transversas dispositae scutelliformes quadrangulae, dorsales plerumque carinatae. Plicatura lateralis intus squamulosa dorsum a ventre distinguens. Aures semper conspicuae.	Fam. 4. S C I N C I. Squamae dorsi latiusculae, plerumque laevigato-nitidae, postice rotundatae subhexagonae. Plicatura lateralis nulla. Palpebrae conniventes, superior brevissima.		Fam. 5. GYMNOPHTHALMI. Pholidosis habitusque Scincorum. Oculi palpebris conniventibus destituti.
Habitus lacertinus; membra quatuor; pedes pentadactyli; aures conspicuae; tympani membrana plus minusve profunda.					
	— — — — — — —	*Pori femorales.* Gen. 1. GERRHOSAURUS. Wiegm. (Cicigna Gray.) Cauda longa verticillata inermis. Dentes palatini multi. G. *flavigularis.* Wagl. Ic. Amph. III. t. 34. f. 1. Gen. 2. ZONURUS. Merr. (Cordylus. Laur.) Cauda mediocris squamis spiniferis verticillata. Dentes palatini nulli. Z. *Cordylus* Merr.	*Pori femorales.* * Gen. 4. SPONDYLURUS. Fitz.	— — — —	— — — —
	Pori femorales nulli. * Gen. 1. LEPIDOSOMA. Spix. Palpebra superior nulla; squamae corporis fasciatim dispositae homogeneae, imbricatim positae, ovato-lanceolatae, carinatae, colli laterales granulosae. (Wagl. S. A.) L. *scincoides.* Spix.	— — — — Gen. 3. GERRHONOTUS. Wiegm. *Dentes palatini pauci vix conspicui; Cauda verticillata, inermis.* De speciebus vide quae infra in saurorum Novae Hispaniae descriptione disserui.	*Pori femorales nulli.* Truncus infra utrinque angulatus; rostrum cuneatum. Gen. 5. SCINCUS. Fitz. Pedes pentadactyli fossorii, digitis depressis limbatis. S. *officinalis.* Laur. Gen. 6. SPHENOPS. Wagl. Digiti teretes nudi; truncus elongatus. S. *capistrata.* Wagl. S. A. p. 161.	— — — — Truncus cylindricus; rostrum obtuse pyramidatum. *A.* Digitus plantarum quartus tertium omnibus longiorem subaequat. * Gen. 1. TRACHYSAURUS. Gray. Dentes maxillares crassi conici. Squamae durae subosseae, rhombeae, carinato-muricatae, granulosae. Cauda subdepressa. Tr. *rugosus.* Gray. Wagl. ic. t. 36. Gen. 2. CYCLODUS. Wagl. Dentes maxillares anteriores clavato-conici, posteriores subglobosi. Pholidosis Scincorum. Cauda teres. C. *flavigularis* Wagl. ic. t. 6. *B.* Digitus plantarum quartus tertio ceterisque longior. Gen. 3. EUPREPES. Dentes maxillares compressi, truncati. *α.* Scuta verticalia tria, anterius maximum, postice angustatum, frontalia anteriora duo, posteriora 3.: *Euprepis* Wagl. *β.* Scut. vertic. unum latissimum; frontalia anteriora duo, posterius unicum. *Gongylus* Wagl. Scinc. ocellatus. Daud.	Gen. 1. ABLEPHARUS. Fitz. Aures conspicuae. A. *pannonicus.* Fitz.
Habitus sepiformis; truncus cylindraceus, gracilis; cauda longissima; artus quatuor brevissimi, remotissimi.					
			Aures conspicuae.	Aures latentes.	
Pedes pentadactyli.	Gen. CRICOCHALCIS. Wiegm.	— — — —	Gen. 7. LYGOSOMA. Gray. Seps 5 dactyl. Daud. (Lacerta serpens. Bloch.)	* Gen. 8. PODOPHIS. m. Anguis quadrupes. Lin.	
Propedes tetradactyli. Scelides pentadactylae:	— —	— — — —	— — — —	— — — —	Gen. 2. GYMNOPHTHALMUS Merr. Pori femorales. G. *quadrilineatus.* Merr.
Pedes tetradactyli.	— —	Gen. 4. SAUROPHIS. Fitz. Tetradactylus. Merr. Pori femorales. Cauda longissima. S. Seps. Fitz. Guer. Icon. t. 16. f. 2. (Lacerta tetradactyla. Lac. Chalcid. tetradactylus. Daud.)	— — — —	Gen. 9. SEPS. Fitz. Tetradactylus decres. Per.	
Pedes tridactyli.	— — —	— — — —	Gen. 10. ZYGNIS. Fitz. (Seps. Merr.) Z. (Seps.) *chalcidica.* Fitz.	* Gen. 11. PEROMELES. m. Saiphos. Gray. Syn. P. (Saiphos) *aequalis.* Gray l. c.	
Propedes didactyli. Scelides tridactylae.	— — —	— — — —	— — — —	— — — —	Gen. 3. LERISTA. Bell. Aures latentes. L. *lineata.* Bell. Lond. and Edinb. Philos. Magaz. Nr. 17. p. 375.
Pedes adactyli.	Gen. CHAMAESAURA. Fitz. Cham. anguinea Schneid.	— — — —	— — — —	— — — —	— — — —
Habitus anguiformis; corpus pedibus anticis semper, posticis interdum destitutum.					
Propedes nulli. Scelidum rudimenta.	— — —	Gen. 5. PSEUDOPUS. Merr. Bipes. Opp. Wagl. P. *serpentinus.* Merr.	Gen. 12. PYGODACTYLUS. Fitz. (Delma. Gray.) Pedes adactyli. P. *Gronovii* Wagl. Ic. 1828. — Bipes Fraseri. Gray. Syn.	Gen. 13. SCELOTES. Fitz. Pedes didactyli. *Bipes.* Merr. (Zygnis Wagl.) B. *anguineus.* Ped. adactyli. *Ophiodes.* Wagl. *Pygopus striatus.* Spix.	* Gen. 4. PYGOPUS. Merr. Aures conspicuae. Pedes adactyli, pinniformes, rotundatae. Lingua apice integra. Pori femorales. P. *lepidopus.* Merr. Guer. Icon. Rept. t. 16. f. 1.
Artus omnino nulli, apparatus sterno-scapularis pelvisque rudimenta.	— — —	Gen. 6. OPHIOSAURUS. Daud. O. *ventralis.* Daud. (Anguis ventralis L.)	Gen. 14. OTOPHIS. Fitz. (Siguana. Gray. Syn.) Rostrum scutellatum. Aures punctiformes. Apparatus sternoscapularis pelvisque? O. *Eryx.* Fitz. (S. Ottonis. Gray. Syn.)	Gen. 15. ANGUIS. L. Cuv. Rostrum scutellatum. A. *fragilis.* Lin.	
Membra omnino nulla; sterni, scapularum pelvisque vestigia desunt:	— — —	— — — —	— — — —	Gen. 16. ACONTIAS. Cuv. Rostrum larvatum. A. *meleagris* Cuv. (Anguis meleagris L.)	* Gen. 5. TYPHLINE. m. Oculi sub cute latentes. Cetera Acontiae. T. *Cuvieri.* (Acontias coecus Cuv.)

Adnotationes ad tabulam praecedentem.

Nota 1. Capitis ossa quamvis in hisce saurorum familiis magnam cum Lacertarum structura similitudinem ostendant, paucis tamen ab iis recedunt. Os frontale intermedium excepto Zonuro duplex ubique observavi, sed sutura minus interdum apparet, crusta calcarea saepius, nisi totam removere queas, occultata. Ossa orbitalia s. frontalia posteriora fere in omnibus duo utrinque adsunt, in Scinco officinali in utroque latere unum inveni, fossam temporalem latiorem totam explens. Idem Ill. Cuvier quum in eadem specie, tum in Scinco tuberculato Merr. (Lacerta scincoide Shaw.), Cyclodi generis specie, observavit. (Recherch. s. l. oss. foss. V. 2. p. 270.) In ceteris Scincorum generibus, quorum crania comparare potui, in Euprepe, Zygnide, Angue, ossa frontalia posteriora bina invenio, quorum alterum anterius, inter os zygomaticum et verticale insertum, orbitam a tergo claudit, alterum priori acclinatum fossam temporalem extrinsecus limitat. Etiam in Ptychopleurorum generibus bina utrinque observantur, sed alterum (superius) interdum, veluti in Gerrhosauro et Zonuro, tanta est exiguitate, ut orbitam per se ipsum neutiquam claudat, imo vix superiorem eius angulum expleat. Tunc orbitale inferius maiorem accipit amplitudinem, ut et orbitam claudat et fossam temporalem superne obtegat. In Gerrhosauro illud quidem marginem orbitae posticum maiori ex parte format, sed infra lacunam parvam relinquit, osse orbitali altero inferiore expletam, quod in acumen postice attenuatum ossi temporali incumbit fossamque temporalem amplam ac solis crustae calcareae scutellis opertam a latere coërcet. Pseudopodis et Ophiosauri capita hac in re Scincorum sequuntur structuram.

Os hyoideum eandem fere speciem, quam in Lacertis modo descripsimus, offert, corpus scilicet furcato-obtusangulum antrorsum in cuspidem longam, postice rarius in cornua breviora duo excurrens, et binis semper cornibus maioribus sibique parallelis utrinque instructum. Cornua anteriora omnibus geniculata, in Scincorum generibus sub geniculis in laminam tenuem dilatata, in Ptychopleuris gracilia, linearia observavi. Etiam in Pseudopode cornua anteriora linearia, quae in icone (l. c. t. 19. f. 5.) antea omiserat, postea invenit Müllerus mihique ostendit, unde ea in Ophiosauro etiam adesse nullus equidem dubito. Cornua postica Lacertarum apud inferiora Scincorum genera, Zygnidem, Anguem, praeterea in Ptychopleuris omnibus desunt. Chamaesaurorum et Gymnophthalmorum genera cultro nondum subiicere potui. Linguae, quam vaga voce squamuloso-papillosam dixi, structura in diversis diversa observatur, qua de re alias fusius loquar. In Scincis et Gymnophthalmis superficiem plerumque totam squamulis quasi obsitam ostendit, rarius basi papillis densis vestitam veluti in Angue, Otophi. In Ptychopleuris papillosa structura praevalet (cf. quae ad Gerrhonotum infra adnotavi.)

Nota 2. Euprepem et Gongylum vix genere distinxerim. Similis enim scutellorum pilei diversitas non solum in Gerrhonoti, verum etiam in Ablephari (s. Cryptoblephari) speciebus invenitur, ut haec quoque animalia in diversa genera distrahere deberes. — Nomina Saiphos, Siguana, Cicigna, a Cl. Gray instituta, utpote barbara oppressi, vixque Leristam retinui.

Nota 3. Gymnophthalmorum familiam a nudis oculis nomen accepisse nemo nescit; idque summo merentur iure, si nudos oculos appellas, qui palpebris haud conniveant. Sin vero de palpebris penitus deficientibus accipis, Ablephari genus excipiendum erit. Nam in hoc genere, quod ut pro nomine iis maxime carere debebat, in Ablepharo pannonico, Buchariae incola, et poecilopleuro (nov. sp.), palpebras veras detexi, at brevissimas et inter orbitae marginem ita absconditas, ut oculos squamarum annulo cinctos putes. Quibus quum propter nimiam brevitatem connivere nequeant, oculus capsula cutis tali munitur, qualem in Ascalabotis detexit Ill. Müllerus, qui hanc etiam observationem accuratiori examine confirmavit. Amicissimus Fitzinger Ablepharum pannonicum suum, typicam generis speciem, et palpebris et membrana nictitante carere autumat. (*Verhandlungen der Berliner Ges. naturf. Freunde.* 1. p. 297.) Descriptio ceteroquin ad Bucharensem nostrum satis quadrat. Aut igitur genere differunt, aut palpebras ille praetervidit. Nomen itaque immutandum, aut, si genere differunt, novum novo generi nostro imponendum erit, quod Cryptoblepharum appellare possis. In Gymnophthalmi specimine deteriore (optimum nebulo quidam ex museo nostro furatus est) eandem oculi fabricam invenire mihi visus sum, palpebras omnino nullas observo. Idem de Lerista et Pygopode suspicor, iisque capsulam ocularem contigisse puto. Quae quum omnia, praeter oculorum structuram, pholidosin habitumque Scincis simillimum ostendant, vix equidem dubito, quin Acontias coecus, licet Meleagridi simillimus, genus peculiare constituat, et ad eandem pertineat Gymnophthalmorum familiam, Scincis apprime parallelam. Quod si ita est, quoad oculos a ceteris Gymnophthalmis eodem modo discedet, quo Typhlini et Ilysiae a genuinis serpentibus distant. Ut enim capsula ocularis in his et magnae tenuitatis est et admodum prominet, in illis vero crassior nec supra cutis planitiem exstans, ita etiam oculi in ceteris Gymnophthalmis capsulae convexitate prominent, in Typhline sub cute absconduntur. Quae si seriore examine confirmentur, naturam in hac eadem familia a perfectioribus Scincorum oculis pedetentim ad obcoecatos Amphisbaenarum transire nemo non videt. Acontiam vero, Acontiae coeco alioquin simillimum, (teste Müllero l. c. p. 237.) ossis parietalis forma, orbita a tergo aperta, columellae defectu aliisque pluribus notis ad Amphisbaenas transitum struere, non est quod moneam.

Nota 4. Genus *Ophiops*. Menetr. (Catalogue raisonné des objets de Zoologie etc. Pétersbourg 1832. p. 63.) ad Gymnophthalmorum familiam procu ldubio pertinet, his characteribus definitum: „Nares in apice canthi rostralis; palpebra inferior nulla; superioris tantummodo rudimenta; palatum nullum (??); squamae supra carinatae, subtus imbricatae, collare nullum; pori sub femoribus; cauda verticillata. O *elegans*. Menetr." Quum autor digitorum numerum omiserit, locum huic generi tribuere nequeo. Ab Ablepharo, cui proximum, pororum femoralium praesentia differt.

Nota 5. Chalcidarum genera, quae ipse non viderim, utpote incertae sedis, in systemate debebam omittere. Corpore continuo, cylindrico, sulculis scutellisque verticillatis annulato, auribus occultis, artuumque nimia brevitate ad Chirotam et Amphisbaenas proxime videntur accedere, quibuscum a beat. Waglero eodem ordine comprehenduntur, repugnantibus aliis, qui ne Chalcidem tetradactylum Daud. et Cuv. in mente habuerint vereor. Diversissima enim animalia ab Ill. Cuviero Chalcidarum nomine appellantur, Gerrhosaurus nempe flavigularis (Lacerta seps. L.), Chalcides tetradactylus Daud. (Saurophis Seps. Fitz.), ad Ptychopleuros pertinentes et genuini Chalcidae, quos sensim rectaque ad Amphisbaenas traducere ipse fatetur Cuvierus. (Règne animal II. p. 66.)

Ad genuinos Chalcidas genera sequentia pertinent mihi nondum visa:

Gen. 1. *Chalcides*. Fitz. Pedibus pentadactylis: Chalc. Daudinii. Opp.
Gen. 2. *Brachypus*. Fitz. Pedibus tetradactylis: Brachypus Cuvieri. Fitz.
Gen. 3. *Cophias*. Fitz. Pedibus tridactylis: Chalcides tridactylus. Daud.

Series II. Rhiptoglossi.

Sectio II. Vermilingues.

FAM. 1. *CHAMAELEONTES.*

Oculi palpebra circulari foramine parvo aperta obducti. Aures latentes. Dentes cum maxillis concreti. Lingua iaculatoria, in apice incrassato pulvillo transverse corrugato (quem veram germanamque linguam puto) instructa. Truncus compressus. Membra macilenta. Pedes pentadactyli scansorii. Cauda prehensilis.

Orbis antiqui incolae.

Gen. CHAMAELEO. Laur.

Ch. *vulgaris.* Daud. (Africae septentrionalis, Hispaniae atque Siciliae incola. Chamaeleo siculus Grohm., quem Fitzingerus meus vidit, specie non differt.)

Series III. Pachyglossi.

Sectio I. Crassilingues.

Oculi palpebris duabus conniventibus clausiles; pupilla rotunda. Laminae supraorbitales cutaceae. Aures rarius sub cute latentes. Cutis nunquam rigida, squamis distinctis vestita. Membra quatuor perfecta; pedes (excepto Pneuste) pentadactyli, digitis omnibus unguiculatis.

Capitis figura diversa, structura (omnibus?) eadem. Crusta calcarea ossa obducens nulla. Ossa nasalia duo. Frontale intermedium et parietale simplex; foramen cuticula clausum (fontanella) in utriusque ossis confinio plerisque. Os frontale s. orbitale posterius *unum* orbitam postice claudens. Fossa temporalis inoperta, osse orbitali posteriore ac temporali extrinsecus limitata. Dentes occidentalis hemisphaerae incolis adnati, orbis antiqui generibus cum maxillis concreti [9]).

FAM. 1. *DENDROBATAE* [10]).

(Stenocormi. Wagl.)

Caput pyramidatum, lateribus perpendicularibus regulariter tetragonum. Aures nunc apertae, membrana tympani superficiali, nunc superinducta cute latentes. Gula saepius paleari pendulo instructa, vel saccata, rarius constricta. Truncus compressus, carinatus, saepius cristatus vel denticulatus. Membra elongata, saepius macilenta.

Tribus I.

Dentes maxillarum tomiis innati; laniarii distincti. *Emphyodontes.* (Acrodontes Wagl.)

Orbis antiqui incolae [11]).

Nota 9. Hanc diversitatem geographicam oculatissimus Kaupius primus detexit et in Iside 1827. p. 610. docte exposuit. Ill. Waglerus Kaupii nullam faciens mentionem, rem iam a me stabilitam (Isis 1829. p. 422.) denuo protulit quasi novam et a semet ipso primum inventam. (S. A. p. 228.) Haec salva in cineres amicissimi viri pietate, ne Kaupii nostri merita laudesque imminuerentur, reticere nolui, quum Cel. Oken, quod illi debebat tribuere, mihi falso adscripsit (Isis 1831. p. 1015). Nihil enim equidem in hac re detexi, nihilque addidi, nisi quod legem indicavi, qua sauri per orbem terrarum dispersi videantur.

Nota 10. Naturalem hancce Agamarum distributionem, qua in Dendrobatas et Humivagas dividuntur, et in praelectionibus meis et in amphibiorum Musei nostri dispositione iam anno MDCCCXXVIII exhibueram eamque in commentatione mea de geographica saurorum dislocatione coram naturae scrutatorum coetu illius anni indicavi. (Isis 1829. p. 422.) Ill. Waglerus hanc meam sententiam ignorans easdem sectiones sub aliis nominibus instituit (Isis. 1828. p. 860), modo Zonuri genus in systematis schemate Platycormis suis (Humivagis) falso adiunxit, postea, me per literas vituperante, ab iis segregavit. Summus Cuvierus repugnante natura dentium palatinorum defectu vel praesentia duas instituit sectiones, nostrarum utriusque genera promiscue amplectentes. Sic vero, quae arctissimo vinculo tenentur, violenter distrahuntur. Ut pauca afferam, hac distribuendi ratione Polychri et Laemancti, Tropiduri et Scelopori (Tropidolepides Cuv.), genere vix inter se differentes, in diversas abirent sectiones. Imo idem Anolii s. Dactyloae generi accideret, si verum est, palatinos dentes, quos Ill. Cuvier omnibus tribuit (Recherch. s. l. oss. foss. V. 2. p. 277) in aliis inveniri. Omnes enim species, quas equidem potui examinare palatinis dentibus carebant. Waglerus, se idem semper reperisse, et ad me de hac re rogitantem scripsit, et in Syst. Amphib. p. 325. monuit. Nec propterea tamen Ill. Cuvierum erroris arguerem, imo dentes palatinos in aliis huius generis speciebus adesse, in aliis vero deficere crediderim, quod posteriori curae relinquendum erit. Hisce argumentis iam satis superque probari puto, eos haud recte agere, qui dentibus palatinis in familiarum distinctione utuntur. Accedit, quod dentes palatini et tanta interdum parvitate sunt, ut attentum desiderent versatumque observatorem, et haud raro, usu nimirum deleti, in eodem genere, imo in eadem specie desiderentur. Hinc, nisi aliae plures notae conspirant, vix genera palatinis dentibus innixus instituerem, minime vero familias, quae pluribus notis definiantur necesse est.

Nota 11. Cel. Waglerus Brachylophum inter Emphyodontes sive Acrodontes recenset, virorum doctorum auctoritate, qua illum in Java insula detectum esse scribunt, fretus. Rem iam multos ante annos Ill. Kaupius in dubium vocaverat. Nunc Cel. Gray hoc genus, quod ad Iguanas refert, in America meridionali habitare testatur (Griffith An. Kingd. Vol. IX.

A. Patagium laterale nullum.

a. Aures latentes. Dorsi carina denticulata; gula paleata.

Gen. 1. LYROCEPHALUS. Merr. Rostrum tumidum, gibbum, cum porcis superciliaribus in aculeum desinentibus lyrae antiquae formam referens. Squamae dorsi inaequales, aliae maiores carinatae, minoribus ceteris adpressis interspersae. Dentes primores in osse incisivo duo. Laniarius maxillae superioris utrinque validus.

L. *margaritaceus.* Merr. Seba. I. t. 109. f. 3.

Gen. 2. OTOCRYPTIS. Wiegm. (Isis. 1831. p. 291.) Rostrum planum; frons inter orbitas concava, occiput subplanum, subhorizontale; porcae superciliares angulo obtuso desinentes. Dentes primores tres, quorum intermedius incisivus. Laniarius utrinque magnus.

O. *bivittata.* l. c. [12]).

b. Aures conspicuae.

α. Pori femorales nulli:

Gen. 3. GONIOCEPHALUS. Kaup. Caput brevissimum, tetragono-pyramidatum, supra orbitam subrecto angulo adscendens, hinc postice quasi truncatum. Nucha pectinato-cristata. Dorsi carina denticulata. Squamae dorsi parvae. Dentes primores 4, quorum duo intermaxillares. Gula paleata.

G. *tigrinus.* Kaup. Lophyrus giganteus Kuhl. Seba I. t. 100. f. 2. G. *Kuhlii.* Wagl. (Lophyrus Kuhlii. Boie.)

Gen. 4. CALOTES. Cuv. Caput longius, pyramidatum; porca superciliaris arcuata. Dorsi carina aliis pectinatim cristata, aliis denticulata. Gulae palear plerisque breve. Squamae trunci magnae aequales, rhombeae, imbricatae, carinatae. Dentes primores 5, quorum 3 incisivi, externus utrinque laniarius ambiguus. Laniarius maxillae validus.

* Squamis pilei laevibus; regione parotica spinifera:
  Naribus lateralibus, sub cantho rostrali sitis: C. ophiomachus. Kaup.
  Naribus in ipso cantho rostrali sitis: C. Tiedemanni Kuhl. Kaup.

** Squamis pilei carinatis, regione parotica mutica:
  Naribus lateralibus, sub cantho rostrali sitis: C. gutturosus, cristatellus. Kaup.
  Naribus semisuperis in ipso cantho rostrali sitis, dorsi carina denticulata: C. tympanistrigus Kuhl.

* Gen. 5. SEMIOPHORUS. Wagl. (Sitana Cuv.) Nuchae dorsique carina denticulata. Palear maximum plicatum, denticulatum, ultra pectus extensum. (Pholidosis imbricata carinata Calotarum?). Genus a praecedente vix satis distinctum.

Sitana pondiceriana Cuv. R. A. tom. 2. p. 43. t. 6. f. 2. Guerin Iconographie. Rept. t. 10.

β. Pori femorales.

* Gen. 6. PHYSIGNATHUS. Cuv. Caput postice valde incrassatum. Palear gulae nullum. Nucha, dorsum caudaque pectinatim cristata. Cauda valde compressa velo destituta.

P. *Cochinchinensis.* Cuv. R. A. p. II. p. 41. t. 6. f. 1.

Gen. 7. LOPHURA. Gray. (*Histiurus.* Cuv.) Caput pyramidatum, superne squamosum; scutellum parvum rotundum in extremo vertice. Cutis gulae laxa. Dorsum pectinato-cristatum. Cauda compressa, basi velifera, versus apicem carina duplici denticulata. Velum caudae spinis vertebrarum suffultum. Digiti plantarum lomate scutellorum duplici fimbriati. (Dentes primores 5.)

* Gen. 8. CHLAMYDOSAURUS. Gray. Caput longius pyramidatum; nucha panniculo lato plicato pallii ad instar utrinque vestita.

C. *Kingii.* Gray. (iconem vide in Griffith Anim. Kingd. nullo, quem apponere possem, numero notatam.)

B. Patagium laterale supra costas abdominales expansum.

Gen. 9. DRACO. L. Aures conspicuae.

Dr. *volans.* L.

Gen. 10. DRACUNCULUS. m. Aures sub cute latentes.

Draco *lineatus.* Daud. — Drac. *personatus.* m.

---

p. 37. Synops.) Icon a Brogniarto data, inter meliores, ut mihi quidem videtur, censenda, huic sententiae favet. Brogniarti specimen Richius ex circumnavigatione terrae attulerat, et locum eius natalem fortasse oblitus Javam insulam indicavit. Cl. Bory (Dict. class.) nescio quo testimonio fretus, hoc animal in Sumatra insula detectum refert. Equidem in Grayi sententiam libentius discedam, quum non dubium mihi videatur, quin Musei Britannici specimen cum egregia Brogniarti icone accurate comparaverit.

Nota 12. Ill. Waglerus hoc genus inter Prosphyodontes recenset; falso. Errorem l. c. correxi.

Tribus II. Dentes maxillarum lateri interno adnati, laniarii nulli. *Prosphyodontes.* (Lacertae pachyglossae stenocormae pleurodontes Wagl.)

Omnes novi orbis incolae.

a. Aures latentes.

* Gen. ? PNEUSTES. Merr. (Genus valde dubium). Palmae penta-, plantae tetradactylae, cauda prehensilis.

Typ. *Pn. prehensilis.* Merr. Chamaeleon second. Azara.

b. Aures apertae.

* *Nares semisuperae* [14]). *Caput brevius. Carina dorsi crista humili denticulata.*

Gen. 1. OPHRYOESSA. H. Boje. Dentes primores multi. Dentes palatini. Supercilia convexa squamosa, cum fronte clypeum cordatum squamosum constituentia. Jugulum transverse plicatum.

a. Cutis gularis laxa, transverse plicata, porcae supraorbitales in aculeum obtusum desinentes; cauda compressa cristata: *Ophryoessa.* Wagl.: *Agama superciliosa. Merr.* (Lac. superciliosa L. nec aliorum aut.)

b. Cutis gularis adstricta, non plicata; cauda subteres, basi tantum denticulata: *Enyalius* Wagl.: *Ag. catenata.* Neuw.

* Gen. 2. HYPSIBATUS. Wagl. Dentes primores 4. Palatini nulli. Supercilia scutellata. Scutum unicum magnum in occipite. (Wagler.) *Ag. plica. Merr.* (Lophyrus agamoides. Gray. Icon. in Griff. Animal Kingd.) *Agam, picta.* Neuw. [16])

** *Nares laterales. Caput breviusculum in galeam pyramidatam postice adscendens. Dentes palatini. Dorsum cristigerum.*

Gen. 3. CORYTHOPHANES. H. Boje. [15]) Aculeus supra auribus nullus. Cutis nuchae cristata. Gulae palear denticulatum.

Agama cristata. Merr. Seba 1. t. 94. f. 4.

Gen. 4. CHAMAELEOPSIS. Wiegm. (Isis 1831. p. 296.) Os temporum aculei instar supra aurem prominens. Crista nuchae nulla. Gulae palear obsoletum. Falculae antipedum longissimae.

Ch. Hernandesii in nostro opere descripta.

*** *Nares laterales, ab apice rostri parum remotae; galea occipitalis nulla. Caput longiusculum. Dorsi carina cristata vel denticulata.*

α. Pori femorales nulli, plantarum digiti lomate externo denticulato-fimbriati: caput postice tumidum, lobiferum (Basiliscus Wagl.)

Gen. 5. CORYTHAEOLUS. Kaup. (Isis. 1828. p. 1147.). Dorsum caudaque velis destituta. Dorsi caudaeque compressae carina denticulata.

Cor. (*Basiliscus*) *vittatus* in nostro opere descriptus [17]).

Gen. 6. BASILISCUS. Dorsum caudaque medio velifera; velum utrumque altum, margine denticulatum, spinis vertebrarum longissimis suffultum.

Basiliscus mitratus. Daud.

β. Pori femorales:

Gen. 7. CYCLURA. Harl. (*Ctenosaura.* Wiegm. Isis. 1828. p. 371.) Palear gulae nullum, cutis gularis saccata, transverse plicata; cauda squamis scutelliformibus spinosis verticillata.

Genus Americae centrali, ut videtur, peculiare. Species plures, sed non satis determinatae. Vide quae infra adnotavimus.

**** *Nares laterales, ad apicem rostri, scutelli nasalis margine prominulo subtubulosae. Caput brevius. Dorsum cristigerum. Pori femorales.*

Gen. 8. IGUANA. Laur. [18]). Rostrum devexum. Caput superne clypeatum. Gulae palear compressum, pendulum. Cauda compressa, inermis, cristata.

Nota 14. Nares *superas* appello, si supra canthum rostralem, *semisuperas*, si in ipso cantho rostrali, *laterales*, si sub eo iacent.

Nota 15. Genus ab egregio Henr. Boje conditum, sed nusquam, quantum scimus, characteribus definitum, ab Ill. Waglero cum Lophyro furcato Cuvieri commutatur cf. quae de hoc et sequente genere infra disserui.

Nota 16. *Leiocephali* genus ab Ill. Gray institutum (Phil. Magaz. 2.), quod ad Agamam umbram falso revocavit Waglerus, propter notarum vagitatem neque collocare nec definire ausim.

Nota 17. Oedicoryphi genus, quod amicissimus Waglerus ex meis literis depromtum instituit, a Corythaeolo non differt. Kaupii nomen utpote anteriori tempore datum praeferendum erat.

Nota 18. Nomen barbarum, sed iam ab ipso Linneao inter specifica receptum, retinere, quam unum ex recentioribus, specierum magis, quam generis characteres exprimentibus, eligere malui.

a. Gulae palear denticulatum:

α. Scutum infra aures, frons inermis. *Hypsilophus.* Wagl.: Ig. *tuberculata.* Laur. — I. *rhinolophus.* M.

*β. Scutum infra aures nullum; frons cornuta. *Metopoceros.* Wagl.: Ig. *cornuta.* Daud.

*γ. Gulae palear antice denticulatum, postice integerrimum; scutum infra aures nullum; frons inermis: *Ig. nudicollis.* Cuv. (Guer. Icon. Rept. t. 11.) ab Amblyrhyncho toto coelo diversa.

b. Gulae palear integerrimum; cornu frontale nullum; crista dorsi humilis.: *Brachylophus.* Cuv.: *Ig. fasciata.* Brogn, Bull. d. Sc. par la soc. philom. tom. 2. t. 6. fig. 1.

Gen. 9. AMBLYRHYNCHUS. Bell. Rostrum truncatum. Caput superne tuberculis abbreviato-conicis asperrimum. Gula paleari (penitus ?) destituta. Cauda cristata inermis.

A. *cristatus.* Bell. l. c.

***** *Nares laterales i. e. infra canthum rostralem sitae, ab apice rostri parum remotae. Caput superne clypeatum, longiusculum.*

Gen. 10. LAEMANCTUS. mihi. Digitus plantarum quartus ceteros longitudine excedens; dentes palatini ac pori femorales nulli; iugulum constrictum, transverse plicatum.

Species 4 in nostro opere describuntur.

Gen. 11. POLYCHRUS. Cuv. Digitus plantarum quartus tertio subaequalis. Gula dilatabilis, paleari brevi instructa. Plica iugularis nulla. Dentes palatini. Pori femorales.

a. Squamae dorsi magnitudine subaequales; intermediae lateralibus parum maiores: P. *marmoratus* Cuv. — P. *virescens.* Neuw. (si specie differt.)

b. Squamae dorsi magnitudine inaequales, intermediae lateralibus multo minores: P. *anomalus.* M.

Polychrus anomalus. n. sp. *Dilute viridis, maculis dorsi lateralibus utrinque tribus nigris, squamis dorsi intermediis parvis, laterum maximis oblongis, per lineas obliquas dispositis.*

Nares ab apice rostri remotae, inter orbitam et rostri apicem fere intermediae. Squamae dorsi medii parvae, inaequales, rotundato-polygonae, laterum duplo-maiores, angustae, oblongae, subquadrangulae, per series obliquas dispositae, squamis minimis interceptae; squamae abdominales lateralibus minores, distinctissime carinatae, subovato-rhombeae, imbricatae. Squamae membrorum externae rhombeae carinatae. Cauda corpore duplo longior, subteres, squamis subrhombeis imbricatis carinatis vestita. Color totius trunci superne virescens, maculis tribus oblongis obliquis iuxta dorsi carinam, infra flavescens strigis nigrofuscis longitudinalibus. Long. capitis 11‴, trunci $2\frac{7}{8}$″, caudae 7″ 1‴. — Brasilia.

****** *Nares superae (supra canthum rostralem sitae) extrorsum patulae. Mesorhinium plerisque gibbum.*

* Gen. 12. NOROPS. Wagl. Nares Dactyloae. Vertex planus scutellis irregularibus planis: gula plica longitudinali; digiti simplices phalange penultima obsolete limbata; cauda continua tereti-polygona. (Wagler. S. A. p. 149.)

Anolis auratus. Daud.

* Gen. 13. DRACONURA. Wagl. Vertex et nares Dactyloae; gula plica longitudinali subinflabili; digiti prope articulationes subincrassati; cauda teres, basi incrassata, teretiuscula. (Wagl. S. A. p. 149.)

Dr. *nitens.* Wagl. l. c. [19]).

Gen. 14. DACTYLOA. Wagl. *Anolius.* Dum. Cuv. Digiti excepto pollice sub penultima phalange dilatati, lamellosi. Gula paleata.

α. Cauda velifera: Anolis Cuvieri. Merr. (A. velifer. Cuv.)

β. —— velo destituta, simplici: A. bullaris. Cuv. Merr.

Huc pertinent species Mexicanae in nostro opere descriptae.

Nota 19. Neque huius, nec praecedentis generis speciem typicam hucusque vidi, at tertiam possidemus, Agamam gracilem Nitzsch. (in Mus. Hal.), utriusque generis notas, ut videtur, coniungentem. Mesorhinio verticeque subplanis, occipite itidem applanato, caudaque terete, in basi vix incrassata ad Noropem accedit, sed digitos simplices prope genicula (imprimis sub penultima plantarum phalange) distincte incrassatos gulaeque plicam longitudinalem Draconurae ostendit. Dentes primores simplices 8, maxillares utrinque 18, mandibulares 23 utrinque numero. Itaque vereor, ut haec genera satis distincta sint, et speciem intermediam Draconuram Nitzschii ad tempus appellavi, hisce characteribus circumscriptam:

Drac. Nitzschii M. Virescens, in dorso fastigio pallida, vitta laterali rufescenti vittaque gemina dorsali undulata nigrofusca in caudam usque porrecta, cauda corpore triplo longiori.

Vertex scutellis parvis oblongo-hexagonis striato-carinatis. Squamae dorsi medii magnae rhombeae, carinatae, lateralibus parvis triplo maiores. Macula nigro-fusca ovalis in cruribus. — Patria ignota.

FAMILIA 2. *HUMIVAGAE.* (*Platycormae Wagl.*)

Caput brevius, sphaerice trigonum, depressum, postice valde dilatatum, lateribus obliquis haud perpendicularibus. Membrana tympani plus minusve detrusa, rarius auribus sub cute latentibus nulla. Truncus depressus. Dorsi fastigium latum, rarissime carinatum.

Tribus I.

Dentes maxillarum tomiis innati: *Emphyodontes.* (Acrodontes. Wagl.)

Antiqui orbis incolae.

A. Aures conspicuae.

a. Pori femorales.

Gen. 1. UROMASTIX. Merr. Cauda depressa, squamis magnis spiniferis verticillata; squamae notaei parvae; dentes primores ossis intermaxillaris adultis 3, provectiori aetate evanescentes, laniarii nulli [20]).

U. spinipes. Merr.

* Gen. 2. LEIOLEPIS. Cuv. Cauda elongata, squamis parvis muticis verticillata; squamae notaei aequales parvae. Dentes?

L. *guttata.* Cuv. Guer. Iconogr. Rept. t. 7. (U. Bellii. Gray. Zool. Journ. 1827. p. 219.)

Gen. 3. AMPHIBOLURUS. Wagl. S. A. p. 145. *Gemmatophora.* (vox hybrida) Kaup. Squamae dorsi inaequales, aliis tuberculatis spinosisve intermixtis; cutis gulae laxa, inflabilis; cauda elongata, teres, supra squamis imbricatis spinosis subverticillata, infra imbricata. — Dentes intermaxillares conici tres; laniarii distincti maxillae utrinque bini.

Agama muricata. Merr. — Agama barbata. Cuv.

b. Pori femorales nulli. Dentes laniarii distincti.

Gen. 4. STELLIO. Daud. Nares laterales, squamae dorsi inaequales, aliae latiores carinatae; cauda teres, squamis muricatis verticillata. Dentes primores 4, quorum intermedii duo intermaxillares. Laniarii validi.

St. *vulgaris.* Daud. — St. *caucasius.* Eichw. Zool. spec. III. p. 187. (Lac. muricata. Pall. Zoogr.) [21])

Gen. 5. TRAPELUS. Kaup. Nares in ipso cantho rostrali. Cauda teres imbricata. Dentes primores 3, quorum externi subrecti, intermedius solus intermaxillaris.

Tr. *hispidus.* Kaup. (Agama gemmata. Daud.) — T. subhispidus. Kaup. (Agama aculeata. Merr.)

B. Aures latentes.

Gen. 6. PHRYNOCEPHALUS. Kaup. Caput brevissimum, antice truncatum. Nares anticae. Digiti plantarum denticulato-fimbriati. Dentes primores Trapeli, sed externi obliqui, convergentes.

α. Labia ad oris angulum in lobum fimbriatum dilatata. (Megalochilus. Eichw.): Lacerta aurita. Pall.

β. Lobus ad oris angulum nullus: Lacerta helioscopa Pall. — L. caudivolvula eiusd. Cf. de huius generis speciebus Eichwaldi Zool. spec. t. III. p. 186.

Nota 20. Beat. Waglerus (Syst. Amph. p. 237.) contra Cel. Kaupium, qui laniarios in Uromastige inveniri negaverat, eos in iunioribus animalibus adesse contendit, eosque cum dentibus primoribus tantopere concrescere, ut non amplius distingui queant. Quos laniarios ambiguos appellavit, ossi incisivo utique insident, hinc non ita appellandi sunt. Prima inventute quatuor (vel 5?) in hoc osse adsunt, quorum intermedii duo tresve parvi citius in unum coalescunt, externi laniariis haud dissimiles longius restant, ut nunc tres eorum numeres. Mox omnes in unum concrescunt, ut os incisivum dentibus funditus privatum putes, quae Cuvieri sententia fuit. — *Uromastix fasciata. Menetr.* (Catal. raisonn. p. 64.) quid? An ad Amphiboluros releganda?

Nota 21. Cel. Eichwald licet Lacertam muricatam Pall. a Stellione vulgari specie differre viderit, non certis tamen characteribus eam distinxit. Sic facillime discernuntur:

St. *vulgaris.* Daud. Supra fusco-maculatus, squamis in spina dorsi maximis irregularibus, margine serrulatis; trunci lateribus aculeatis, aculeorum acervulis per series longitudinales dispositis.

St. *caucasius.* Eichw. Supra virescenti-griseus, punctis nigris in annulos congestis variegatus, infra fulvidus, squamis in spina dorsi magnis regularibus, subhexagono-rhombeis, mucronatis, margine integris, laterum acervulis aculeiferis nullis. Aures callis aculeiferis cinctae; callus postauricularis maximus compressus, alter itidem maximus atque compressus in colli latere. Squamae dorsi magnae, carinatae, mucronatae, in vittam longitudinalem congestae. Latera squamis parvis subrotundis umbonatis vestita, aculeis acervatis destituta, hypochondria solum squamis magnis carinato-spinosis per tractus transversos dispositis muricata. — Nescio an Lac. Stellio. Pall. (Zoogr. III. p. 24.) *squamis secundum spinam parvis asperis* tertiam constituat speciem, auctoris nomine appellandam.

Tribus II.

Dentes maxillarum lateri interno adnati: *Prosphyodontes.* (Pleurodontes Wagl.)

Novi orbis incolae.

A. Pori femorales nulli.

Gen. 1. STROBILURUS. M. Nov. gen. [22]) Dorsum carinatum, abdomen planum, hinc truncus obsolete triqueter; cauda mediocris, squamis magnis spiniferis imbricata.

S. *torquatus.* n. sp.

Gen. 2. UROCENTRON. Kaup. (*Doryphorus* Cuv.) [23]). Nares fere in ipso cantho rostrali; truncus depressus; squamae dorsi parvae; cauda mediocris, depressa, squamis magnis carinatis spinosis verticillata. Collum subtus biplicatum, plica iugularis integra. Dentes 4 primores et maxillarium anteriores simplices conici, ceteri trilobi, introrsum proclinati, palatini nulli.

Typ. U. *brevicaudatum.* Kaup. (*Stellio brevicaudatus.* Daud.)

* Gen. 3. PLATYNOTUS. Wagl. [24]). Nares laterales ab asserculo brevi subamotae in squamae convexae medio; cauda trunco multo longior, teres, gracillima, imbricata, basi dilatata, depressa. (Wagler.)

Typ, P. *semitaeniatus.* Wagl. Ag. semitaeniata. Spix. Lac. bras. t. 16. f. 1.

Gen. 4. TROPIDURUS. Neuw. Nares superae. Truncus depressus, cauda elongata, teres vel subcompressa, squamis carinatis interdum spiniferis verticillata. Dentes primores 5—6; palatini parvi.

a. Occipitis scutello magno solitario; cuti gulae laxa, uniplicata, plica iugulari medio interrupta: *Tropidurus.* Neuw. (Ecphymotes et Hoplurus. Cuv.)

* Squamis dorsi carinatis, homogeneis, aequalibus: Tr. torquatus. Neuw. — Tr. Cuvieri. Gray. (Quetzpaleo. Seb. 1. t. 97. f. 4.)

** Squamis dorsi sublaevibus, intermediis maioribus: Trop. heterolepis. M. — Trop. microlophus M. vide Nova Act. Acad. Caes. Leopold. Vol. XVII. P. 1.

b. Occipitis scutellis pluribus; plicaturis axillarum exiguis in plicaturam iugularem haud coëuntibus. (Liolaemus M.)

Trop. nigromaculatus. M. — Tr. oxycephalus M. — Tr. undulatus. Wagl. — Tr. nitidus M. — Tr. chilensis M. cf. Commentationem supra citatam.

B. Pori femorales.

Gen. 5. SCELOPORUS. *Wiegm.* Isis. 1828. (Tropidolepis Cuv. R. A. II. ed. sec. 1829. p. 38.) [25]). Squamae dorsi aequales magnae, carinatae, imbricatae; fossula in utroque latere colli; dentes palatini nulli; pori femorales magni; cauda elongata, teres, squamis spinulosis imbricatis subverticillata.

Typ, *Scel.* torquatus M. De speciebus vide infra.

Gen. 6. PHRYNOSOMA. *Wiegm.* Isis 1828. Caput brevissimum, postice latissimum, in occipite temporibusque depressis spiniferum; truncus depressus, ovalis, ad latera aculeis fimbriatus; cauda brevis, basi dilatata, depressa; pori femorales punctiformes.

Typ. *Phrynos. orbiculare* in nostro opere descriptum, ubi etiam de ceteris agitur speciebus.

Nota 22. Genus inter Humivagas et Dendrobatas mire intermedium, quod ne quis cum Hoplari genere, ab Ill. Cuviero constituto, confundat, descriptionem integram adiicio. Hoplurum torquatum Cuv. Cl. Gray optimo iure ad Tropiduros refert (Syn. Amphib. Griffith version. adiect. p. 41). Nostrum genus hisce definitur characteribus:

Caput depressum, clypeatum, scutello occipitali magno, clypeolis multis minoribus incluso. Nares superae, scutum nasale medio perforantes. Dentes primores 6 parvi, simplices; maxillares 18, quorum anteriores simplices, posteriores compressi, obsolete trilobi; palatini nulli. Membrana tympani parum detrusa, antice squamis acutis marginata. Cutis gulae transverse plicata; plica iugularis medio interrupta. Truncus obsolete triqueter, dorso subcarinato, paululum compresso, abdomine plano. Carina dorsi a cervice ad caudae basin usque denticulata. Cauda mediocris, compressiuscula, squamis maximis, carinatis, imbricatis, spiniferis. Pori femorales nulli.

S. *torquatus* m. Olivaceo-griseus, torque nigro.

Colli latera plicata, plicaturis subramosis, squamarum carina prominula mucronulatis. Squamae dorsi rhombeae, mediocres, per fascias transversas dispositae, alte carinatae, carinis in mucrones acutissimos desinentibus. Carinarum lineae obliquae sursum convergentes. Squamae abdominales laeves inaequales dorsalibus minores subrhombeae. Femora atque crura superne squamarum spinis acutissimis horrent. Cauda corporis fere longitudine, squamis rhombeis maximis carinatis spiniferis margine serratis imbricatis squarrosa. Long. trunci $3\frac{3}{4}''$, caudae $3\frac{1}{4}''$. Habitat in Brasilia, unde specimina duo accepimus.

Nota 23. Uranocentron a Cl. Gray falso scribitur, quasi aculeos in palato haberet.

Nota 24. Nomen iam inter Coleoptera receptum immutandum est.

Nota 25. Cel. Gray cur Cuvieri nomen seriori tempore datum meo ubique substituerit, haud intelligo. Nomen *Sceloporus*, ab insigni pororum femoralium magnitudine, quam etiam Cuvierus agnovit, desumtum, quum eximiam generis proprietatem indicet, procul dubio illi praeferendum est. Nullo autem pacto excusanda literarum variatio, quam in hoc nomine admisit Anglus, mox Sclerophorus, mox Scelophorus, vel adeo Scelerophorus scribens. Hoc si fieri potuit, haud mihi aegre ferendum erit, quod ipse a Celeb. Viro nunc Weigmannus, nunc Wiedemannus appellor.

Sectio II. Latilingues.

FAM. ASCALABOTAE. (*Geckones.* aut. *Ascalabotes.* Cuv. *Stellio.* Schneid.)

Oculi magni, palpebris brevissimis inter orbitae marginem absconditis, capsulaque bulbum adversum obducente instructi, pupilla elliptica, ovali. Aures semper conspicuae, sed membrana tympani in meatu auditorio profundo detrusa. Lingua brevis, tenuior, lata, papillis brevibus dense vestita, apice obtuso vix emarginata. Dentes maxillarum lateri interno adnati; palatini nulli. Truncus subdepressus. Squamae dorsi parvae, tuberculis lenticularibus triedrisve saepius interceptae. Pedes quatuor pentadactyli. Digitorum in plerisque pulvillo scansorio instructorum saepius singuli, rarius omnes exungues.

Ossa capitis nuda. Ossa nasalia duo, frontale intermedium magnum simplex; parietale duplex. Os zygomaticum minimum, subnullum, maxillari adhaerens, os orbitale posterius ypsiloideum vel semilunare nequaquam attingens; hinc orbita a tergo late interrupta. Os temporale ramo ossis parietalis postico adcretum fossam temporalem a latere apertam relinquit.

Utriusque orbis incolae.

A. Digiti simplices, teretiusculi, subtus non lamellosi.

Gen. 1. GYMNODACTYLUS. Spix. (Ascalabotes Fitz. Stenodactylus. eiusd.) Digiti simplices, inaequales, recti, teretes, unguiculati.

α. Cauda teres annulatim squamosa: *Gymnodactylus.* Spix. Eichw. (*Stenodactylus.* Fitz.)
G. *pipiens.* Eichw. (Lacerta pipiens. Pall.) — G. *geckoides.* Spix. — G. (St.) *guttulatus.* Cuv. r. a. [28])

β. Cauda teres verticillata: *Eublepharis.* Gray Zool. Journ. III.: E. *Hardwickii.* Gray.

γ. Cauda depressa, subcordata: *Phyllurus.* Cuv.: Stellio phyllurus Schn.

Gen. 2. GONIODACTYLUS. Kuhl. (Cyrtodactylus. Gray.) Digiti teretes, elongati, graciles, inaequales, in geniculis anfracti, omnes unguiculati.

G. annulatus. Kuhl. — G. (Cyrtod.) *pulchellus.* Gray. [29])

B. Digiti subsimplices, pulvillo expertes.

Gen. 3. PACHYDACTYLUS. M. Digiti breviusculi, exungues, crassiusculi, sub ipso apice tantum obsolete lamellosi, ceterum squamoso-verrucosi, pollex reliquorum subaequalium longitudine.

P. *Bergii.* M. (Africa merid.) [30]).

C. Digiti subtus pulvillo scansorio instructi:

§§ Pulvillus transverse lamellosus:

a. sulco longitudinali intermedio destitutus; hinc lamellae integrae.

Gen. 4. PLATYDACTYLUS. Cuv. Digiti fissi, pulvillo obovato-oblongo, ad rhizonychium usque pertinente, instructi; truncus patagio destitutus; cauda simplex.

α. Digiti omnes exungues, pollex brevissimus. (Anoplopus Wagl.): P. *cepedianus.* Cuv.

β. Digiti intermedii tantum unguiculati, pollices, digiti secundi et quinti inermes, (pori femorales nulli). (Ascalabotes. Fitz.): P. *fascicularis.* Cuv.

γ. Digiti omnes praeter pollices unguiculati (Platydactylus. Fitz.): *P. guttatus.* Cuv.

δ. Digiti omnes unguiculati. P. Leachianus. Cuv.

* Gen. 5. CROSSURUS. Wagl. Digiti Platydactylorum (?), omnes unguiculati; propedes semipalmati, pedes palmati; truncus patagio laterali destitutus; cauda pinnatim fimbriata.

Lac. caudiverbera L. Seba. II. t. 103. f. 2.

Nota 28. Gymnodactylum geckoidem a Stenodactylo guttato non puto genere differre. Ille digitos breviores crassiores, hic graciliores ostendit, plantarum praeterea externum hic subaequalem, ille tertio breviorem habet. Ascalabotes stenodactylus Hempr. et Lacerta pipiens Pall. iam ad Gymnodactylum propius accedunt, ut generis discrimen invenire nequeam. Itaque Gymnodactyli nomen, utpote prius datum, huic generi restituendum putavi. — Ascalabotes pipiens. Lichtenst. (Eversmann Reise nach Buchara p. 145) novam constituit speciem, plantarum digitis, squamarum acutarum serie utrinque fimbriatis, cauda elongata gracili, dorso maculis violaceo-nigris adsperso a Lacerta pipiente Pall., cuius specimen ab ipso auctore possidemus, satis distantem; sed nescio an etiam a *Gymnod. caspio* Eichw. (Zool. spec. III. p. 181.), differat. Si specie distat, nostrum G. Eversmanni appellabimus.

Nota 29. Cyrtodactyli genus a Goniodactylo pororum analium defectu distinctum haud satis differe puto. Cel. Gray poros, quos in squamarum subfemoralium maximarum serie desiderat, fortasse praetervidit; non enim sub femoribus, sed obtuso angulo supra anum iacent. Ceteroquin pororum glandularium praesentiam defectumve in Ascalabotis nullius momenti puto. Saepius enim tanta sunt parvitate, ut facillime praetervideantur; saepe (v. g. in Platydactylo vittato, cepediano, in Ptychozoo homalocephalo) etiam in eadem specie prorsus desunt. Quod an sexus diversitati tribuendum sit non ausim decernere.

Nota 30. Pedis structuram Guerin in Iconographia (Rept. t. 14. f. 4.) sub falso G. inunguis nomine pinxit. Hic enim, cuius iconem Cuvierus dedit (R. A. III. t. 5. f. 3.) et pollice brevissimo, et digitorum pulvillo lamelloso differt, ideoque ad Anoplopos pertinet.

Gen. 5. PTYCHOZOON, Kuhl. (Pteropleura. Gray.) Digiti Platydactylorum, sed pedes propedesque palmati. Patagium laterale. Cauda pinnato-fimbriata.

P. *homalocephalum.* Kuhl. (Pt. Horsfieldii. Gr. vix specie, nedum genere differt.)

b. Pulvillus transverse lamellosus, sulco longitudinali bipartitus; hinc lamellarum series duplex; ungues retractiles:

α. Palmae tetra-plantae pentadactylae:

* Gen. 6. CHIROPERUS. m. (Sarruba. Fitz.) Truncus plica laterali fimbriata destitutus; Cauda depressa ovalis.

Ch. *Sarrube.* (Gecko tetradactylus. Merr.)

β. Palmae plantaeque pentadactylae; digiti semipalmati.

* Gen. 7. RHACOESSA. Wagl. Digiti (praecedentis?) omnes unguiculati, semipalmati; cauda late fimbriata; truncus plica laterali fimbriatus.

Stellio fimbriatus. Schn. (Wagl. icon. Amph. t. 35.),[31]).

Gen. 8. THECODACTYLUS. Cuv. Digiti pulvillo obovato-oblongo ad rhizonychium usque pertinente; cauda simplex.

Gecko laevis. Daud. (Stellio perfoliatus. Schn.)

Gen. 9. HEMIDACTYLUS. Cuv. Digiti sub basi tantum in pulvillum ovalem duplicique lamellarum serie instructum dilatati, ceterum teretes, plerisque omnes unguiculati; cauda subtus scutata.

α. Digiti omnes unguiculati: Gecko triedrus. Daud. — *β.* Pollices propedum scelidumque mutilati exungues: H. *pristiurus.* M. Nov. Act. Ac. Leop. XVII, 1.

§§ Pulvillus longitudinaliter lamellosus.

Gen. 10. PTYODACTYLUS. Cuv. Pedes fissi, digiti teretes, apice in pulvillum bilobum, lamelloso-flabelliformem dilatati. Nares tubulosae.

Gecko lobatus. Geoffr.

§§§ Pulvillus lamellis destitutus; ungues retractiles.

Gen. 11. PHYLLODACTYLUS. Gray. (Spicil. zool. p 3.) Digiti teretiusculi sub apice dilatato pulvillis duobus tenuibus, squamiformibus, obovatis, laevibus instructi.

P. *pulchellus.* Gray. — *Gecko porphyreus.* Daud.

Gen. 12. DIPLODACTYLUS. Gray. (Proceedings of the Zool. Soc. of Lond. Pars II. 1832. p. 40). Digiti graciles teretiusculi sub apice vix dilatato pulvillis duobus ovalibus carnoso-papillosis instructi.

D. *vittatus.* Gray l. c. — D. *gerrhopygus.* M. Nov. Act. Acad. Caes. Leop. Car. Vol. XVII, 1.

* Gen. 13. SPHAERIODACTYLUS. Cuv. Digiti teretes in pulvillum subrotundum apicalem dilatati.

G. *sputator.* Daud.

SUBORDO III. ANNULATI.

FAM. AMPHISBAENAE.

Tribus I. *Prosphyodontes.* Dentes maxillis adnati.

A. Pedibus anticis instructi: *Propodes.*

Gen. 1. CHIROTES. Cuv. Pedes antici pentadactyli; digitus externus mutilatus exunguis, ceteri unguiculati; pori anales.

Ch. *canaliculatus.* Cuv. (*Bipes canaliculatus.* Lac. *Chamaesaura propus.* Schneid. Guer. Iconogr. Rept. t. 16. f. 3. cf. egregiam dissert. Ill. J. Mülleri. Tiedemann u. Treviranus Zeitschrift für Physiologie IV. fasc. 2. p. 257. c. ic.)

B. *Pedibus destituti: Apodes.*

a. *Pectus scutatum; nares inferae; pori supra anum nulli: Lepidosternon.* Wagl. Fitz. (Novi orbis incolae.)

Gen. 2. CEPHALOPELTIS. Müll. Scutum verticale solitarium, ingens, frontem verticemque totum obtegens.

α. Scutum rostrale cum frontali anteriore maximo confusum, larvae ad instar rostrum obducens, latere infero naribus perforatum: *C. Hemprichii.* m. (Lepidosternon Hemprichii. Wiegm. Handbuch der Zoologie. p. 186. Amphisbaena scutigera. Hempr. Verhandl. der Gesellsch. naturf. Freunde in Berlin. I. St. 2. p. 129.)

Nota 31. Ill. Cuvier huic generi Ptyodactyli digitos tribuit; Cepedius atque Schneiderus lamellas medio divisas perhibent; Wagleri descriptio hac in re minus accurata.

β. Scutum rostrale a frontali maximo transverso distinctum; nares in scutelli rostralis, frontalis primique labialis confinio sitae: C. *Cuvieri.* Müll. l. c. t. 22. f. 5. (species mihi nondum visa).

Gen. 3. LEPIDOSTERNON. Wagl. Scutella verticis plura.

α. Scutum rostrale magnum, frontalia duo lata, brevia; rostrum superne sulcatum: L. *Maximiliani.* m. Amphisbaena punctata. Neuw. (Iconem capitis optimam dedit Müllerus l. c. t. 22. f. 4. sub nomine L. microcephali; descriptionem accuratissimam Sereniss. Princeps Neovidensis.)

β. — — — — — — — —: L. *Microcephalus.* Wagl. excl. synonymis. (Spix. Serp. Brasil. t. 26: Icon. Amphib. t. 16. f. 2. Icon utraque minus, ut videtur, accurata, quum ad descriptionem, itidem in scutellorum enumeratione mancam, non satis quadrent. Hinc diagnosin constituere nequeo, at speciem distinctam puto.)

b. Pectus scutis destitutum, tessellato-annulatum; nares laterales; dentes primores 7. Amphisbaena. Fitz. (Utriusque orbis incolae.)

α. Rostrum obtusum planum:

Gen. 4. AMPHISBAENA. Wagl. Scutella nasalia in rostri superficie contigua, magna, naribus antice perforata; scutella frontalia et verticalia duo magna; cauda subcylindrica, obtusissima; pori supra anum. Omnes novi orbis incolae.

A. *alba.* L. — A. *fuliginosa.* L. etc.

Gen. 5. BLANUS. Wagl. Scutella nasalia lateralia, scuto frontali solitario interiacente a se invicem remota; scutella verticis occipitisque mediocria; cauda conica acutiuscula. Antiqui orbis incolae (?)

α. Scutella verticis quadrata: *Bl. cinereus.* Wagl. (*Amphisb. cinerea.* Vandelli. *Amphisb. oxyura.* Wagl. Spix. serp. Bras.) Hispania.

β. Scutella verticis oblonga subpentagona: Bl. *rufus.* m. (Amphisbaena rufa. Hempr. l. c. Descript. non satis accurata.) Patria ignota.

β. Rostrum compresso-carinatum:

Gen. 6. ANOPS. Bell. (Philos. Mag. and Journ. of Scienc. 1833. p. 375.)

Scutella nasalia et frontalia scuto rostrali maximo, in carinam compresso, subcartilagineo, galeaeque ad instar in verticem assurgente, diremta; cauda obtusissima, cylindrica; pori anales nulli. (Dentes in exiguo specimine nostro examinare non potui.)

A. *Kingii.* Bell. (Amphisbaena galeata. Mus. Berol.) Brasilia.

Tribus II, *Emphyodontes.* Dentes cum maxillis concreti.

* Gen. 7. TROGONOPHIS. Kaup. (Isis. 1830. p. 880.) Caput scutellis parvis tectum. Rostrum acutiusculum. Dentes primores $\frac{3}{2}$ maxillares $\frac{5.\ 5.}{6.\ 6.}$ Cauda brevissima conica. Pori anales nulli.

Tr. Wiegmanni. Kaup. l. c. (Patria ignota.)

SUBORDO I.

L O R I C A T I.

FAM. 1. *CROCODILINI.*

Genus I. CROCODILUS. Cuv. Wagl.

Dens mandibulae quartus exsertus, iuxta maxillae marginem sinu externo receptus. Digiti palmarum subliberi. Plantae palmatae.

Spec. CROC. RHOMBIFER. Cuv. [32])

Rostro medio prope frontem admodum convexo; fronte plana, rhombea; scutis nuchae 4, cervicalibus 6; fasciis scutorum dorsalibus 12, sacralibus 5, caudalibus ad cristam simplicem usque 17.

Aquetzpalin (i. e. lacerta aquatica) Mexicanis. Nard. Ant. Recchi in Hernand. Thesaur. Rer. med. N. Hisp. p. 315. cum figura rudi.

C. *rhombifer* Cuvier. Ann. d. Mus. X. Oss. foss. V. 2. p. 51. (edit. II.) *Tiedemann*, *Oppel* et *Liboschitz Naturgeschichte der Amphibien.* fasc. 1. p. 75. c. icone. *Merrem* tentamen syst. amphib. p. 36.

Descriptio.

Caput uti in congeneribus pyramidatum. *Rostrum* mediocriter elongatum, acutiusculum, pone nares in spatium subtriangulare complanatum, deinde processu laterali, devexo, dentis noni validissimi alveolum fovente, magnopere dilatatum, demum frontem versus nonnihil constrictum atque in ossium nasalium regione fronti proxima, eminentia longitudinali, mediana, convexo-tumida assurgens. *Frons* planiuscula, porcis duabus obsoletis ab utraque orbita prodeuntibus, et ad eminentiam rostralem acuto angulo convergentibus inclusa, aream rhombeam, postice apertam exhibet. Porcae frontales in adulto animali minus quam in iuniori conspicuae, et ne in his quidem supra aream ab iis inclusam eminentes, hinc area ipsa non (ut in C. biporcato) depresso-concava apparet, sed expleta et applanata. Porcae superciliares, in Crocodilo biporcato et vulgari satis eminentes, hic vix ullae apparent, ideoque metopium, quod in illis plus minusve excavatum, omnino planum redditur. *Occiput* breve, planum, trapezoideum, foraminibus binis, cute communi obtectis, lacunatum. *Dentes* in maxilla 17, in mandibula 15 utrinque numeravi. Maxillarium tertius nonusque, mandibularium primus quartusque ceteris inaequalibus et longiores et validiores. Mandibularium primus utriusque lateris quarti maximi longitudinem fere aequans, in foveolam ossis intermaxillaris geminam recipitur idque, provectiori saltem aetate, penitus perforat.

Scutella quatuor, bigemina, carina humili, subbituberculata, nucham occupant. Cervix scutellis sex, carina altiori praeditis munitur, eodem fere modo dispositis, qualem in *Cr. biporcato* et *acuto* invenimus, sic nimirum, ut quatuor maiora per paria duo composita medium teneant, iisque unum utrinque compresso-subconicum a latere adiectum sit. Dorsum scutellorum fasciis transversis 17 superne loricatur, quarum 12 in ipso dorso, 5 in regione sacra numerantur. Numerus scutorum in fasciarum dorsalium singulis variat. Alius enim in speciminibus duobus Parisiensibus a Tiedemanno et Oppelio descriptis, alius in nostro specimine exsiccato invenitur. Ut in aliis Crocodilorum speciebus scutellorum in fasciis singulis complexorum numerum satis variabilem, contra fasciarum numerum magis, licet haud semper, constantem observavi. Priorem igitur, qualem in nostro deprehendi, describam [33]). In fascia prima dorsali duo tantum scutella adsunt, ovali-rhombea, alte carinata, adiecto uno utrinque, posteriora versus magis remoto,

---

Nota 32. Huius speciei patria, Cuviero incognita, Ferdinandi Deppii itinere primum innotuit. cf. Wiegmann *Beiträge zur Amphibienkunde.* Isis XXI. (1828) p. 365. et commentationem de Crocodilis. Isis. 1829. p. 620.

Nota 33. Oppelius et Tiedemannus in suis speciminibus primam fasciam quaterna, secundam sena scuta exhibere scribunt. Quem equidem solitarium numerum puto. Nam prima nostri etiam speciminis fascia quatuor continet, si scutellum utriusque lateris retrorsum amotum, binis intermediis adnumeras. In secunda eiusdem speciminis fascia lacunam invenimus, hic scutellum deficere indicantem; itaque unum tantum ad regularem numerum desideramus. Nec quem illi viri in fasciis quatuor sequentibus invenerunt, numerum, senarius scilicet, in nostro specimine deest, ubi cum quinario alternat. Quae proxime sequuntur octonae fasciae, adnumerato externo utriusque lateris remotiori, octona continebant scuta; in nostro, si lateralia illa adnumeras, fasciae a quarta ad decimam usque sequentes septenis octonisve scutis alternant. Haec vero omnia vix varietatem, nedum specificam diversitatem indicare, facile tibi persuadeas.

eiusdem formae, sed carina altiori. Fascia secunda quatuor continet, quorum lateralia altiori carina gaudent; intermedia latiora, quadrata, vix ullam ostendunt carinam. Sequentes fasciae ad nonam usque numero scutorum senario ac quinario alternant. Nona cum tribus proxime sequentibus quinis singulae scutis armantur. In sacralium denique fasciarum quavis quaterna numeravi, praeterquam in ultima, fasciis caudalibus simili. Intermedia omnium fasciarum scuta lateralibus multo latiora, quadrata, humilique carina praedita vittam quasi vertebralem planiusculam constituunt. Fasciis dorsalibus, quae inde a quarta ad decimam usque sequuntur, scutella ovalia, altius carinata, singula singulis ab utroque latere adiacent, at deorsum magis remota, ut seriem iuxta ventris scuta utrinque excurrentem efficiant. Cauda, in nostro specimine statim post cristae duplicis finem mutilata, fasciis 17 ad hanc usque regionem cingitur. Scutorum intermediorum carinae in octava caudalium fascia delitescunt; lateralia deinde altioribus carinis duas cristas componunt, quae in fascia decima sexta septimaque arctissimo spatio diremtae, in duodevicesima ac sequentibus in cristam simplicem coalescunt. Fascias simplicem caudae cristam sustinentes Oppelius et Tiedemannus quatuordecim indicant totidemque in icone depinxerunt. Reliqua trunci membrorumque pholidosis exsiccatione in nostro specimine nimis depravata est, ut et squamarum et scutellorum formam accuratius describere nequeam. Scriptores supra laudati speciei nostrae squamas membrorum quam in ceteris maiores atque altius carinatas tribuunt.

Color in nostro specimine superne olivaceo-viridis, subtus virescens ac maculis numerosis fuscis conspersus. Eundem Cuvierus de suis praedicat exemplis („Son couleur est un fond verdâtre tout piqueté en dessus de petites taches brunes très-marquées). Scriptores modo laudati flavo-fuscum colorem, fusco maculatum huic speciei tribuunt. (*Farbe gelbbraun, oben ziemlich dunkel mit braunen Flecken dicht besprengt, unten schmutzig rothgelb. Am Halse, auf dem Rücken und an den Füſsen nimmt man dunkelbraune Flecken wahr, die sich am Rumpfe nach und nach in die Queere ausbreiten und am Schwanze regelmäſsige Queerbänder bilden.*) Hinc eos varietatem huius speciei ante oculos habuisse iure coniicias.

De vitae ratione atque habitatione huius Crocodili pauca in Hernandesii Thesauro a Recchio his verbis adnotata invenimus: „Vivunt in quamplurimis paludibus huius novae Hispaniae, aliisque aquis stagnantibus Crocodili miranda corporis magnitudine, rostro prolixo, ac dentato etc. — Et mox: Illud imprimis admirati, adeoque immanis vastaeque bestiae, ut quae sex septemve passuum longitudinem excedat, a pueris Indorum collum alligari, atque ita pertrahi ad littora non valente, ut inquiunt, monstro alioqui tardo et segni, caput nocendi gratia contorquere, si non e contrario sed lateribus et transverso occursu invadatur. Nec minus mirabile est, per famem ac alterius alimenti inopia lapidibus vesci, et hos ipsos in illorum ventriculis corrosos et paene absumtos reperiri." Eundem lapides devorandi morem, ad cibos melius concoquendos, ut videtur, necessarium, etiam in ceteris huius familiae speciebus observatum esse, non est, quod moneam.

Genus II. ALLIGATOR. Cuv. Fitz.
Champse. Wagl.

Dens mandibulae quartus in foveam maxillae internam recipiendus; palmae fissae, plantae semipalmatae, rarius fissae.

Alligatoris speciem in Nova Hispania degere, et a Deppio audivimus, et talis bestiae exuviae (*the skin of a Kayman*) docent, quas ad societatem Zoologicam Londinensem missas esse, nuper in Ephemeridibus Anglicis legimus. (*The London and Edinburgh Philos. Magaz. and Journ. of Science. Vol. III. p.* 375.) Nomen speciei haud indicatur.

SUBORDO II.

S Q U A M A T I.

Series I. Leptoglossi.

Sectio I. Fissilingues.

FAM. II. TRACHYDERMI.

Gen. I. HELODERMA. M.

cf. Commentationem meam: de Acaltetepo s. Temacuilcahuya Hernandesii. Isis. 1829. p. 624.

Trachyderma M. antea. Isis. 1829. p. 421. (Nomen, quod Ill. Latreille Pimeliarum generi interea tribuerat, immutandum erat.)

Descriptio generis.

Caput latum, tetraedro-pyramidale, depressum, obtuse triangulum, supra clypeolis confertis, irregulariter multangulis, convexis, tuberculiformibus, in rostro lato obtuso scutis planis quatuor vestitum; labia scutellis marginata.

Nares ad rostri apicem, laterales, oblongo-obovatae, scutis 3 inclusae.

Oculi laterales, palpebris duabus clausiles.

Tympanum superficiale? (in nostro specimine pertusum).

Lingua exsertilis, lata, bifida (Hernandesio auctore).

Dentes maxillarum aequales, attenuato-conici, rectiusculi, acutissimi, maxillarum margini interno adfixi, antico latere intus sulco profundo exarati. Dentes palatini nulli.

Truncus elongatus, cylindricus, cute squamulosa, rugis transversis parallelis distincta, vestitus, ac squamis maioribus tuberculiformibus, osseis, per series transversas digestis, exasperatus, subtus scutellis quadrangulis, laevibus, transverse seriatis tectus.

Cauda teres, verticillata, supra squamis tuberculiformibus, osseis, subtus quadrangulis laevibus vestita.

Membra valida, tuberculis asperata.

Pedes pentadactyli, fissi [34]); digito plantarum tertio quartoque subaequalibus. Ungues falculares, compressi, acuti.

Pori femorales nulli.

Spec. 1. HELODERMA HORRIDUM. M. TAB. I.

Fuscum, rufis maculis, guttisque flavis, interdum albicantibus, variegatum; cauda longitudine trunci, annulis flavicantibus quinis cincta. (Iconem tab. I. exhibet accuratam.) Isis 1829. p. 628.

Wagler Icones Amphib. fasc. II. tab. 18, (Figura mediocris, habitum speciei capitisque formam minus accurate exhibens, e meliori icone, quam ipse cum Viro amicissimo communicaveram, nescio quam ob causam depravata.)

Descriptio.

Caput tetraëdrum, pyramidale, depressum, latum, ante oculos subsinuato-angustatum, obtuse triangulum, clypeolis confertis, irregulariter polygonis, tubercula imitantibus, nec nisi in rostro lato, obtuso ac paululum devexo, scutis planis vestitum. Quorum scutorum duo adsunt paria; ex his quae anteriora omnino plana, laevia et subquadrata sunt; posteriora duo parum elata, subrhomboidea. Scuta nasalia anteriora duo; inferius quadrangulum, superius apice deflexo cum scuto nasali posteriori, maximo, hemisphaerico, excavato confluens. Scutella labii superioris 26, anteriora utrinque plana, posteriora convexiuscula; intermedia quatuor in rostri apice quadrangula, uno utrinque sphaerice trigono, obtusiusculo inclusa; lateralia intermedia superiacentibus quinque aucta. Scuta lorea duo subconvexa; anterius angustum, pentagonum, posterius latissimum, polygonum. Scutella orbitalia anteriora ac posteriora duo; suborbitalia tria, irregularia, convexiuscula. Frons, vertex, tempora cum occipite clypeolis magnis, confertis, rotundato-multangulis, tuberiformibus, osseis horrent. Mentum scutis subplanis, polygonis vestitur, quorum lateralia rotundato-polygona, intermedia maxima irregularia; gula et collum subtus squamis parvis confertis, ovalibus, convexis; cervix tuberculis maioribus obtuse conicis consita. Cutis totius trunci squamuloso-alutacea, in dorso rugis transversis parallelis aliisque obliquis reticulatim exarata, squamis maioribus tuberiformibus, hemisphaericis, interdum obtuse conicis, distantibus, per series transversas digestis, fuscis, flavisve vel albicantibus, in quovis rugarum linisco singulis consita. Pectus et abdomen scutellis planis laevibus vestita. Scutella in summo pectore rotundata, subpolygona, sine certo ordine congesta, in imo pectore et in abdomine tetragona, rectangula, per series transversas disposita. Artus antici et postici longitudine subaequales, validi, pentadactyli. Brachia squamis ovalibus aut subrotundis convexis, osseis; antibrachia et maniculae superne squamis maioribus, planis, sublenticularibus tecta. Digiti palmarum vix inaequales, fissi, intermedius ceteris parum longior, quarto subaequalis. Femora et crura extus tuberculis hemisphaericis, intus squamis subrotundatis, planis, maioribus vestita; digiti plantarum omnes, sicuti palmarum digiti, scutellis latis, transversis, subsemilunaribus tecti; digitus palmarum quartus et tertius subaequales, reliquis longiores. Ungues falculares compressae, acutae. Cauda teres, trunci fere longitudine, annulatim squamosa, superne squamis tuberiformibus, subtus scutellis planis quadrangulis vestita.

Nota 34. Palamam, quam plantarum digitos connectere Waglerus et ego ipse olim putabamus, nunc reapse nullam existere, sed detractam tantummodo cutem huius speciem simulasse video.

Color in corpore supero atrofuscus, subtus pallidior in rufum vergens. Caput unicolor; truncus in nucha et dorso maculis pallide rufis tuberculisque passim flavis albidisve variatus; venter fusco flavoque permixtus. Cauda atrofuscum dorsi colorem ostendit, sed annulis flavicantibus quinque subgeminis interceptum.

Longitudo capitis $2\frac{3}{4}''$.

Latitudo —— in occipite emensa $2\frac{1}{4}''$.

———— —— inter oculos $1\frac{1}{4}''$.

Rostrum in apice fere pollicem latum.

Longitudo totius corporis ab apice rostri ad caudae basin $16\frac{1}{4}''$, caudae $12''$.

Specimen huius animalis unicum, idque, quod maxime dolendum, exsiccatum a Ferdinando Deppe, ineunte anno 1828, accepimus, nomine Scorpii (Escorpione), quo iam antiquis temporibus in Nova Hispania appellabatur, insignitum. Vivit in ferventibus terrae Mexicanae regionibus. Torvo foedissimoque aspectu ac dentium longo acumine falsam venenati ac letiferi morsus suspicionem iam antiquitus in se commovit. Etiamnum illarum regionum incolae Deppio teste crotalum aliosque venenatos serpentes vix magis timent, huiusque animalis aspectum tantopere reformidant, ut quum ex venatu ille domum rediret, nostrae bestiolae exuvias in manibus gestans, ex aedibus omnes protinus erumperent. Sunt tamen, quae ut hanc foveant suspicionem, etiam Zoologorum multos perduxerint, dentes nimirum, sulco eodem exarati, qualem in serpentibus iure suspectis v. g. in Dipsade, Homalopsi aliisque invenimus, et quos glandulae veneniparae ductus excretorios excipere facile tibi persuadeas. Obstat tamen nullam hucusque ex lacertis innotuisse venenatam, et eundem etiam in mandibulae dentibus sulcum adesse, qui quomodo venenum sursum ducat, non facile intelligitur. Hinc verisimilius videtur, sulcos, in prima dentium evolutione ortos, quemadmodum in serpentum dentibus fieri scimus, per aetatem remanere. Ad hanc quoque sententiam faciunt, quae ex Hernandesii scriptis hausta, Nardus Antonius Recchius cap. II. de Acaltetepo seu Monoxillo mucronato, in Thesauro Rerum medic, Nov. Hisp. p. 315. refert:

„De Acaltetepon seu Monoxillo mucronato, quod privatim Temacuilcahuya vocant, Lacerto Novae Hispaniae.

Versatur in Quauhnahuacensibus agris aliisque ferventibus huius Novae Hispanicae locis lacerti terrificum quoddam genus, Coloto nostrati haud absimile, nuncupatum ab indigenis Hispanis Scorpius, duas longum spithamas, prolixa cauda, brevibus cruribus, lingua, quam interdum versat, rubra, lata ac bifida, torvo capite, incessu gravi tardoque, et crusta intectum dura, fulvis candidisque punctis, parvulas margaritas imitantibus aut lithospermi semina, variata, quae a cruribus posterioribus usque ad extremum caput in varias digeruntur formas, ab iisdem vero ad extremum caudae in lineas annulis similes, cingentes transversim corpus per intervalla, etsi fulvae longe sunt numerosiores. Huius animalis morsus noxius est, sed minime lethalis, quo fit, ut visu, quam ictu sit horridius, nec quemquam impetat, nisi laesum et concitatum. etc."

De nominibus in fronte huius loci positis haec modo addam: Fernandesii testimonio (Tract. III. de Amph. cap. 2. p. 5.) Acaltetepon Mexicani omnes lacertas [35]) nominabant, quae vel eximia magnitudine insignes, vel letiferi morsus suspectae erant. Hinc eos voce Acaltetepon genus, Temacuilcahuya nomine speciem indicasse verisimile est, quod etiam Hernandez voce privatim videtur innuere. Illud enim nomen tribus imponebant lacertis, quarum una, de qua infra dicendum erit, ad Scincos pertinet, duas vero nostrum ad genus pertinere nullus dubito. Locus Hernandesii, unde haec coniicio, his verbis continetur: „Venenatarum tria adhuc apud novos Hispanos offendi genera, morsus noxii, sed minime (si tempestive occuratur ei) lethalis, quarum duae priores magnitudine, forma et colore conveniunt, sed picturarum distinguuntur varietate; altera namque luteis ornatur sphaerulis in fuscum candidumque inclinantibus colorem, (Heloderma horridum nostrum) altera vero candidis lineis, in rectitudinem procedentibus, luteisque, et secundum transversum fuscis et pallescentibus e candido," quam, si specie revera differat, Heloderma Hernandesii nominare propono.

Nota 35. Nescio an in universum de venenatis animalibus intelligi debeat. Nam sic demum apparet, cur de scorpionibus etiam in usum venerit; ac qui fieri potuerit, ut Scorpii nomen ab imperitis in nostrum transferretur animal.

FAM. AMEIVAE. Cuv.

Gen. CNEMIDOPHORUS. Wagl.

Ameiva. Cuv. Fitz. *Teius.* Merr.

Caput pyramidatum, tetragonum, superne scutatum, occipite postremo squamoso.

Lingua squamuloso-papillosa, apicibus longis, laevibus, sulcatis bifurca, basi vaginae rudimento instructa.

Dentes interno maxillarum lateri adfixi [36]); primores 6 vel 10 simplices conici; maxillarium antici simplices, conici, sequentes denticulo obtuso antice instructi, postici compressi, tricuspides. *Dentes palatini* aut nulli, aut duo utrinque conici, acuti, distantes.

Nares laterales, in margine posteriori infero scutelli nasalis, oblongae, obliquae, a rostri apice parum recedentes.

Collum subtus biplicatum, in ipsis plicaturis squamulis minimis obsitum, inque earum interstitio, in *mesoptychio*, squamis maioribus, haud ultra plicaturam iugularem prominulis vestitum.

Notaeum squamis aequalibus, parvis, *gastraeum* scutellis quadrangulis laevibus (octonis denisve in quavis fascia) vestitum.

Antibrachia extus, *crura* subtus scutellata.

Antipedes pedesque pentadactyli. Falculae antipedum compressae, acutissimae, mediocres vel elongatae.

Cauda elongata, teres, scutellis quadrangulis angustis, carinatis verticillata.

Glandulae subfemorales.

Vivunt in calidis Americae regionibus, loca arenosa lapidosaque frequentantes.

Species huius generis in Nova Hispania degentes, omnes *octona* in quavis fascia ventrali scutella ostendunt, dentium numero atque forma discrepant. In aliis enim totidem dentes in osse incisivo observavi, quot in Cnemidophoro Ameiva numerantur, in aliis sex tantum inveni interstitio parvo medio diremtos [37]). Accedit, quod etiam maxillares dentes in hoc saurorum genere magnopere variant. Quapropter hanc differentiam non tanti facerem, nisi tertia insuper adesset, quan-

---

Nota 36. Ameivarum omnium dentes interno maxillarum lateri primitus adnatos esse, iam supra ad generum synopsin (pag. 8.) adnotavi. Hoc ut in Centropygis genere, ita maxime in nostro apparet. Nam in utroque genere partem radicalem dentium ab omni tegmine osseo denudatam solaque gingiva obductam invenimus, in Podinema et Thoricte autem crusta ossea ita obvelatam, ut dentes primo aspectu maxillis videantur iniuncti. Restat, ut quomodo in una eademque familia haec oriri possit diversitas, breviter ostendam. Saurorum pisciumque dentes propriis ac genuinis radicibus carere, iam egregiis Ill. Cuvieri observationibus innotuit. Is enim gelatinosum bulbum, maxillarum interno lateri adhaerentem, ubi dentem produxerit, ossificari intimeque et cum maxilla, et cum ipso dente coalescere ostendit; at capsulae nullam fecit mentionem, quam equidem certe in Prosphyodontibus pluribus invenio. Haec autem nascentem ex bulbillo dentem includere ac protegere videtur, et post eius formationem vel sensim resorbetur, vel osseam induit duritiem et cum radice spuria dentis i. e. cum bulbillo eius ossificato concrescit. Illud passim in Prosphyodontibus aliis locum habere videtur, hoc in Ameivarum familia semper observatur. Sed hic etiam diversitatem invenimus. In Cnemidophoro nostro hae capsulae maiorem ostendunt tenuitatem, licet radicem crustulae ad instar totam semper obducant. Magis iam in Ctenodonte in conspectum veniunt, ubi multo crassiores non solum singulorum dentium radices obtegunt, sed etiam interstitia eorum explent alveolosque spurios aemulantur, non ita tamen contiguos, ut singulorum dentium radices discernere nequeas. In Podinema tandem propter crassitiem ac nimiam vicinitatem tantopere coalescunt, ut crustam constituant osseam, uno velut tenore dentium radices obducentem, quam nisi ad capsularum transformationem, qualis in Cnemidophoro ac Ctenodonte gradatim crassescens observatur, attenderis, facillime pro interna maxillarum lamina accipies. Id summo accidit Cuviero, si dentes succedentes in maxillarum foveolis nasci contendit (*il se forme dans l'os une cavité, qui loge pendant un certain temps le noyaux pulpeux et la calotte qui naît dessus.* Recherches s. les oss. foss. V. 2. p. 275. ed. II.) Non enim in ipsis maxillis, sed in hac crusta ossea, sulcum maxillarum totum explente, nascuntur.

Nota 37. Eandem fere diversitatem in *Centropygis* genere observavi. In *Centropyge calcarata* Spixii dentes primores duodecim inveniuntur, quorum intermedios sex externis utriusque lateris tribus minores observo. In *Lacertae striatae* Daud. specimine novem tantum invenio primores, externos scilicet utrinque binos et intermedios quinque itidem minores. Maxillarium totidem in utraque specie numeravi, quot Cel. Wagler e *Centr. calcarata* indicavit. Nec propterea tamen in amicissimi viri sententiam discesserim, qui Lacertam striatam ob squamarum dorsi difformitatem et calcarium analium defectum, si dentium insuper diversitatem ostenderet, proprium genus constituere suspicatus est; nam et calcaria etiam in *Lacertae striatae* masculis non desiderantur, nec pholidoseos diversitas per se sola tanti est momenti, ut generis distinctionem exposcat, nisi cum cranii dentiumve differentia aliisve characteribus externis iuncta. At ne hic quidem diverso primorum dentium numero multum tribuo. Nam tertiam huius generis speciem inquisivi, *C. calcaratae* simillimam, squamis medii dorsi parum quam in *calcarata* minoribus, squamis supraanalibus alte carinatis, oblongo-rhombeis, acutis (nec ut in C. calcarata obtusatis truncatisve), porro vittis dorsi duabus pallidis, laterumque maculis nigro-fuscis distinctam. Hanc Centropygem vittatam in Museo nostro appellaveram. Postea vero e catalogo Amphibiorum Celeberrimi Gray, ad calcem Griffithii versionis adiecto, didici, eandem speciem (si quid ex brevissimis Angli diagnosibus percipere licet) a Cel. Schlegel *Centropygem intermediam* appellari, quo nomine nullum potest excogitari melius. Medium enim inter utramque speciem tenet, habitu ac pholidosi cum *C. calcarata,* dentium primorum numero cum Lacerta striata. Daud. conveniens. Hoc, quod in paucis tantum exemplis explorare potui, si in multis comprobatur, cave ne dentium numero nimium tribuas.

tum scio, a nemine hucusque observata. Quod enim ab Illustr. Cuvier inter Ameivarum charactere recensetur, eas palatinis dentibus carere, id in Acranto genere et in duabus Cnemidophori speciebus irritum inveni. In illo dentes palatinos ternos, in Cnemidophoro guttato et Cn. Sackii binos utrinque conicos detexi. In utraque Cnemidophori specie praeter insolitos ossium pterygoideorum dentes ac diversum primorum dentium numerum, etiam maxillarium formam nonnihil discrepantem invenio. Dentes enim maxillae superioris omnes, si primos (in Cn. guttato binos, in Cn. Sackii quaternos) simpliciter conicos exceperis, coronidem denticulo antico instructam subbicuspidem exhibent, nec nisi in extremis duobus coronidem compresso-trilobam observo. Mandibularium posteriores omnes bicuspides invenio. In Cnemidophoro undulato et murino (lemniscato) triloborum dentium numerus praevalet, quorum decem tredecimve in extrema inveniantur maxilla. Hac igitur in re et in falcularum longitudine illae species cum Cnemidophoro Ameiva magis conveniunt, qui maxillares anteriores conicos simplicesque, ceteros omnes, exceptis ternis quaternisve postremis compresso-trilobis, bicuspides ostendat. Differunt tamen in eo, quod mandibnlarium postremi sex septemve, quos in illis omnes bicuspides invenimus, hic coronidem trilobam habere solent. Quae quum differentiae aliarum diversitatum accessu, diverso scilicet primorum dentium numero, palatinorum praesentia defectuve, porro scutorum abdominalium numero diverso ac longitudine falcularum relativa augeantur, eas non solum uberiori perscrutationi commendandas censeo, sed eas etiam, si in speciminum multitudine confirmentur, aptissimas puto, quibus in subdividendo genere uti possis. His enim adhibitis haec fere oritur specierum, quas ipse vidi, dispositio:

A. Dentes palatini nulli; dentes primores ossis incisivi 10.

a. Scutella abdominalia in quavis fascia 10; falculae propedum elongatae, compressae, acutae; dentes maxillarum plerique denticulo antico bicuspides, postremi tres quatuorve maxillae, mandibulae sex septemve trilobi.

1. *Cn. Ameiva.* Wagl. (Teius Ameiva. Merr.) America meridionalis.
   Var. *α.* Superne viridis, fusco maculatus, lateribus fusco, viridi flavoque ocellatis. (Lacerta litterata. Daud.)
   Var. *β.* Superne virescens subunicolor, vitta laterali lata nigra, viridi ocellata. (Ameiva lateristriga. Cuv.)

b. Scutella abdominalia in quavis fascia 8; falculae propedum breviores, mediocres; dentes maxillares decem tredecimve postremi compresso-trilobi.

2. *Cn. undulatus.* M. Squamis gulae mediae et mesoptychii maximis, scutelliformibus, haud imbricatis; virescens, ad latera maculis nigrofuscis albidisque variegatus. Mexico.
3. *Cn. murinus.* Wagl. Squamis menti gulaeque subaequalibus; squamis mesoptychii rotundato- vel subovali-polygonis; scuto labii superioris primo utroque integerrimo; lateribus femoribusque albido (coeruleo) maculatis. Surinamia.
   α. iunior; vittis dorsalibus octo pallidis (coeruleo-virentibus). (Teius lemniscatus. *α.* Merr.)
   β. adultus; dorso unicolore. (Seps murinus. Laur. Teius cyaneus. *γ.* Merr.)

B. Dentes palatini conici, utrinque bini; dentes primores ossis incisivi sex, diastemate intermedio diremti; scutella abdominalia in quavis fascia 8; falculae antipedum elongatae, compressae, acutissimae.

4. *Cn. Deppii.* M. Squamis menti parvis, gulae intermediis maioribus; squamis mesoptychii mediocribus, imbricatis, rhombeis; scuto labii superioris primo denticulato; superne cineraceus, vittis octo pallide viridibus; lateribus immaculatis. — Mexico. [38])
5. *Cn. Sackii.* M. Squamis gulae subaequalibus, parvis, oblongis, mesoptychii mediocribus, imbricatis; virescens, ad latera fasciis transversis nigrofuscis vittisque duabus pallidis variegatus. — Mexico.
6. *Cn. guttatus.* M. Squamis gulae intermediis maioribus; squamis mesoptychii magnis, subrhombeis imbricatis; dorso cineraceo, guttis albidis longitudinaliter adsperso; lateribus superne nigricantibus, immaculatis, vitta gemina marginatis. — Mexico.

Descriptio specierum Novae Hispaniae.

* *Dentibus palatinis destituti.*

Spec. 1. CN. UNDULATUS. M.

Squamis gulae mediae et mesoptychii maximis scutelliformibus, haud imbricatis; virescens, ad latera maculis transversis nigrofuscis albidisque variegatus.

Syn. *Ameiva undulata.* M. in literis et in Mus. Berol.

Capitis forma ac scutellorum dispositio fere eadem, quae in Cn. Ameiva. Scutella nasalia

---

Nota 38. *Ameivam tessellatam,* Americae septentrionalis incolam (*Long. exped. II. p.* 50. *Gray Syn. Amph. p.* 30. *Journ. of the Acad. of natural Sc. of Philad. p.* 8.), a cel. Viris Say et Harlan breviter descriptam, quo referam nescio. — *Lacertam sexlineatam.* Lin., licet eam meis oculis nondum viderim, ad nostrum genus pertinere, nullus dubito, quamvis a Cel. Harlan l. c. ad Lacertas referatur. — Teius cyanomelas. Neuw. ad primam sectionem pertinere videtur.

oblongo-quadrangula; frontale anterius latum ex rhombeo rotundatum, subhexagonum; frontalia posteriora duo, trapezoidea, subpolygona. Scutellum verticale primum breve, postice angustatum, pentagonum, in vertice dimidio desinens, usque ad scuti supraorbitalis secundi finem porrectum. Scutella laminarum supraorbitalium intermedia tria, marginalia 5, quorum primum parvum subrhombeum, secundum angustum, longissimum, supra totum fere oculum extensum, postrema tria parva subaequalia. Squamae gulae ovali-subhexagonae, parvae, intermediae multo maiores, scutelliformes, oblongae, transversae. Squamae mesoptychii magnae scutelliformes, polygonae, non imbricatae, postice prope plicaturae marginem squamis minimis inclusae. Squamae dorsi parvae, rotundae, leviter umbonatae. Abdominis scuta aequalia, angusta, regulariter quadrangula, in quavis serie octona. Squamae supra anum intermediae 5, magnae. Pori femorales 16—18 utrinque. Falculae propedum mediocres, digito dimidio longe breviores. Cauda corporis longitudine dupla parum longior. Color in dorso virescens lineis transversis undulatis nigrofuscis variegatus. Latera maculis transversis nigrofuscis albidisque (pallide viridibus flavisve in vivo animali?) picta. Cauda corpore concolor, supra olivascens, maculis nigris frequentibus subfasciata, subtus albida, in latere albido-grisea.

Longitudo capitis 1″.
——— trunci $2\frac{3}{4}$″.
——— caudae 8″.

Varietas α. Lateribus velutino-nigricantibus, guttisque eorum albidis in vittam longitudinalem consociatis.

Longitudo capitis $\frac{7}{8}$″.
——— trunci $2\frac{5}{8}$″.
——— caudae $7\frac{7}{8}$″.

β. Dentibus palatinis distinctis, primoribus ossis incisivi 6.

Spec. 2. CN. DEPPII. M.

Squamis menti parvis, gulae intermediis maioribus; sq. mesoptychii mediocribus, imbricatis, rhombeis; scuto labii superioris primo denticulato; superne cineraceus, vittis dorsi octo pallide viridibus, ad latera immaculatus.

Syn. Ameiva Deppi m. in mus. Berol.

Cnemidophoro murino (lemniscato) nimis propinqua, at certis distincta characteribus. Squamae gulares intermediae lateralibus parum, mentalibus duplo maiores. Squamae mesoptychii imbricatae, rhombeae, in illo rotundato- vel subovali-polygonae. Dentes palatinos in nostro specimine nullos quidem invenio, sed asperitatem in utroque osse pterygoideo sentio, dentes elisos esse indicantem. Scutellum labii superioris primum margine infero denticulatum, in illo integerrimum. Scutum frontale anterius rotundato-hexagonum, posteriora subtrapezoidea. Scutum verticale anterius postice angustatum, vix ultra scutelli supraorbitalis secundi marginem porrectum; posteriora duo antrorsum angustata; occipitalia quae vocant tria magna, adiectis utrinque et a tergo pluribus parvis. (In C. lemniscato occipitalia 5 maiora subaequalia adsunt, quibus complura parva postice adiacent.) Scutella laminae supraorbitalis intermedia tria (in lemniscato 4), marginalia 8 (in lemniscato 6), tertium (in lemniscato secundum) ceteris longius. Squamae dorsi minimae, convexae, subrotundae. Digitus palmarum secundus quarto vix brevior. Falculae palmarum longissimae, admodum compressae, acutissimae, digitum dimidium aequantes, in C. lemniscato breviores, mediocri longitudine. Color fere idem qui Cn. lemniscati, superne e viridi cineraceus vittisque 8 coeruleo-viridibus, fusco marginatis, pallidis, variatus; sed latera nullis conspersa maculis. Cnemidophori lemniscati mares calcaribus analibus acutissimis, uno utrinque, semper armatos vidi, quibus feminae carent. Haec etiam in nostrae speciei masculo desunt.

Longitudo capitis 8‴.
——— trunci 2″.
——— caudae $6\frac{1}{2}$″.

Spec. 3. CN. SACKII. M.

Nota. In memoriam beati Comitis de Sack, insigni cuius liberalitati maximam Mexicanorum animalium partem debemus.

Squamis gulae subaequalibus, parvis, oblongis; squamis mesoptychii mediocribus imbricatis; supra virescens, ad latera fasciis transversis nigrofuscis vittisque duabus pallidis variegatus.

Syn. *Ameiva Sackii* m. in Mus. Berol.

Capitis forma ac scutellorum dispositio eadem fere, quae in praecedenti; at scutellum verticale primum longius, usque ad scutelli supraorbitalis tertii finem porrectum. Occipitalia tria, verticalibus posterioribus duobus maiora. Scutella laminarum supraorbitalium intermedia hic, ut in Cn. Ameiva, quaterna, sed posticum minimum. Scutella marginalia octo numerantur, quorum anteriora tria subaequalia, angusta, longiuscula, postrema quinque minima, quadrata. Scutella labii utriusque 6, submentalia 5 utrinque latissima. Squamae gulares subaequales. Squamae mesoptychii imbricatae, subrhombeae. Squamae dorsi aequales, parvae, rotundatae, convexiusculae. Scutella supra anum tria polygona, squamis mediocribus inclusa. Falculae antipedum longissimae, digito dimidio longiores. Pori femorales utrinque 22. Cauda dupla corporis longitudine longior. Color dorsi e griseo virescens. Latera dilute fusco-olivacea vittaque longitudinali pallida utrinque marginata, fasciis permultis transversis e fusco nigricantibus variantur. Vittarum lateralium altera pone occiput iuxta dorsum excurrens in caudae origine desinit, altera illique parallela prope scuta suborbitalia incipiens et in imo latere continuata ante femora evanescit.

Longitudo capitis 3″.
——— trunci 3″.
——— caudae 9″.

Specimen unicum in Museo nostro servatur.

4. *Cn. guttatus* M.

Squamis gulae intermediis maioribus; squamis mesoptychii magnis, subrhombeis, imbricatis; dorso cineraceo, guttis albidis longitudinaliter adsperso; lateribus superne nigricantibus, immaculatis, vittaque gemina marginatis.

Syn. *Ameiva guttata.* m. in literis et in Mus. Berol.

Capitis forma fere eadem, quae in Cn. Ameiva. Scutella capitis, quae in Cn. undulato; at scutellum verticale ultra supraorbitalis secundi finem porrectum, saepius in duo divisum. Scutella occipitalia quae vocant tria, verticalibus posterioribus maiora. Scutella laminarum supraorbitalium marginalia 6, angusta, quorum anteriora 3 subaequalia, postremis tribus aequalibus longiora; intermedia tria, squamarum parvarum serie a scutellis verticalibus et occipitalibus inclusa. Scutellum labii superioris primum margine infero obsolete denticulatum. Squamae gulares inaequales, intermediae lateralibus maiores, oblongae, obliquae. Squamae mesoptychii magnae, rhombeo-subhexagonae, imbricatae. Pholidosis dorsi ac reliqui corporis quae in ceteris. Falculae propedum longissimae, digitum dimidium aequantes. Cauda corpore plus duplo longior. Color superne cineraceus, guttis albidis (in vivo animali pallide viridibus?), in series quatuor longitudinales dispositis, adspersus. Latera superne vitta lata, stria pallide viridi supra infraque inclusa, intense nigricant, inferne maculis multis pallidis adspersa e coeruleo, virent. Pulli iam tenera aetate adultorum colorem ostendunt, at guttulas dorsi minus conspicuas.

Longitudo capitis $1\frac{1}{8}$″.
——— trunci $3\frac{5}{8}$″.
——— caudae $10\frac{1}{2}$″.

Sectio II. Brevilingues.

FAM. PTYCHOPLEURI.

Gen. GERRHONOTUS M.

Cf. *Commentationem meam: Beiträge zur Amphibienkunde. Isis.* 1828. *p.* 379.

Descriptio generis.

Caput pyramidato-tetragonum, paucis depressum, clypeolis irregulariter-multangulis vestitum.

Dentes maxillares aequales, cylindrici, obtusi; primores 9, palatini minimi, utrinque terni, obtuse conici, vix conspicui, interdum nulli [38]).

Lingua in basi lata papillis filiformibus, crassis, confertis obsita, ultra medium affixa, apice obtuso, subspathulato, leviter exciso, extensili, nigrescente, papillisque brevibus adpressis subsquamuloso.

Nares laterales, prope apicem rostri, scutellum nasale maius postice perforantes, scutellis nasalibus accessoriis parvis, plerumque binis ternisve (uno scilicet supero [39]) inter scutum nasale proprium et frontalia sito, atque uno binisve posticis, scuta lorea antecedentibus) circumclusae.

Nota 38. In Gerrh. coeruleo quatuor sed eiusdem formae invenire mihi visus sum; G. taeniatus in laevo palati latere dentem unicum, sed talem, quales ex G. rudicolli descripsi, ostendebat mihi. In G. Deppii dentes palatinos frustra quaesivi. Quapropter hunc characterem perparvi facio, ac dentes palatinos saepius mutilari puto.

Nota 39. Hoc in G. *coeruleo* deest, sed postica duo parva adsunt; in *G. rudicolli, imbricato, lichenigero* posticum saepius semperve desideratur, superum adest.

Membrana tympani aperta, depressa, nec tamen plicatura laterali occulta, neque squama semilunari valvulae ad instar tecta.

Oculi mediocres, laterales, inter rostri apicem et aures medii; palpebris duabus squamulosis clausiles; lamina supraciliari ossea, e scutellis 8, ossificatis, quinis scilicet maioribus, tria vel quatuor minima, exteriora a vertice includentibus, superne muniti; subtus et postice scutellorum angustorum semicirculo marginati.

Scutella lorea duo. *Verticalia* omnibus, quas novi speciebus, *sex*, in cuneum ita disposita, ut unum eorum inter orbitas iacens, apicem, reliqua basin cunei obtineant, *Frontalium* numerus variat.

Labia scutellis marginata.

Mentum duplici utrinque scutellorum serie subtus vestitum, interioribus scilicet maioribus, polygonis, externis quadrangulis duplo minoribus.

Truncus scinciformis, squamis, subquadrangulis, superne subtusque fasciatus, plicatura longitudinali, intus squamulosa, sub auribus incipienti, in utroque latere insignis. *Squamae* dorsi durae, scutiformes, plerisque carinatae; abdominales omnibus laeves, subquadrangulae.

Pori glandulares sub femoribus omnino nulli.

Membra pro corporis magnitudine brevia, squamis laevibus, in latere postico minimis, vestita. *Propedes pedesque* pentadactyli, horum digitus quartus tertio subaequalis.

Cauda longa, basi quadrilatera, deinde teres sensimque attenuata, squamis duris, quadrangulis inermibus annulata. Mutilata regeneratur, sed neque pristinam longitudinem, nec picturam [40]), nec regularem requirit pholidosin. Squamae enim in regenerata caudae parte minores, ordine minus certo dispositae, omnesque laeves.

De partium internarum fabrica ex anatome G. *rudicollis* haec tantum in schedulis adnotata invenio: *Glottis* epiglottide destituta. *Arteria aspera* annulis completis quadraginta quinque constat, inter pulmones demum in bronchos breves simplicesque vix decimam ipsius partem aequantes divisa. *Pulmones* duo oblongi, subaequales, pollicis circiter longitudine, simplices, in pariete interno supra cellulis parvis confertis, infra maioribus paucioribusque repleti. *Lingua* basi lata papillis filiformibus confertis obsita, carnei coloris, in apice subspathulato nigrescenti papillis squamulosis appressis tecta, ut Scincorum linguam Agamarum linguae subiectam putes. *Tractus intestinorum* vix dupla trunci longitudine, in oesophago, ventriculo et intestino recto crassipellis, ceterum magnae tenuitatis. *Oesophagus* modice amplus, infra nonnihil angustatus, atque plicaturis pluribus crassiusculis intus corrugatus, a latere in partem cardiacam subhorizontalem ducit, ubi plicae oesophageae in ipsa cardia anastomosibus variis coëuntes subito desinunt. Pars superior ventriculi subhorizontalis cum parte inferiore verticali rectaque ac versus pylorum sensim angustata geniculum obtusum, strictura levi distinctum format. Pars verticalis ventriculi, parte pylorica amplior, oblonga plicaturas intus in latere obliquas, aliasque medias, in regionem pyloricam angustatam decurrentes, offert. Pylorus ab intestino plicatura annulari transversa separatur. *Intestinum tenue* praeter eximiam parietis tenuitatem inprimis insigni villorum copia atque perfectione excellit. Certe villos intestinales in nullo lacertarum genere pari modo evolutos inveni. Formam obtuse triangularem habent et per quincuncem dispositi sunt, partem intestini tenuis inferiorem versus sensim evanescentes. Quod ubi intestino recto continuatur, magis apparet constrictum, sed valvulam in ipso transitu frustra quaesivi, plicas vero longitudinales plures observavi. *Rectum* parietem crassum intus longitudinaliter plicatum, coeci extrinsecus fere nullum vestigium ostendebat, nisi eminentiam oblongam lineae circiter longitudine, intus a reliqua recti cavitate septo longitudinali ita distinctam, ut illius quasi loculamentum esse videatur. (In Zonuro coecum parvum, conico-oblongum, obtusum, extrinsecus satis conspicuum adest.) *Hepar* trigonum hastato-bilobum, lobo dextro maiori appendiculato, lobo intermedio parvo, hastilis ad instar inserto. *Cystis* mediocris in medio hepate abscondita.

Gerrhonoti genus inter Gerrhosaurum et Zonurum medium quasi tenere, in propatulo est. Ab illo dentium corona simplici (unicuspide), obtusa, a Zonuro cauda inermi, aculeis destituta ac linguae structura differt, ab utroque glandularum femoralium defectu. Lingua Zonuri tota papillis filiformibus obsita, apiceque leviter emarginata, ad Pachyglossorum typum quamvis tenuior proxime accedit, unde hoc genus ab iis, qui linguam prae ceteris respexerunt, falso ad Pachyglossos (Agamas) revocabatur.

Species, quarum patriam novimus, omnes Americam incolunt; Mexicanae loca frigidiora praeferre videntur, in silvis inter saxa latitantes.

Nota 40. Sic in cauda regenerata G. *liocephali* colores quidem genuinos restitutos inveni, sed puncta nigra, quae subtus magna multitudine adsunt, desideravi.

Differentiae specierum hucusque cognitarum conspectus.

A. Squamis dorsi medii laterumque laevibus, capite depresso, scutellis frontalibus 5.

1. G. *Deppii M.* (l. c.) Supra ater, albo maculatus; squamis dorsi laevissimis. Mexico.

B. Squamis dorsi medii carinatis, laterum plerumque laevibus. Capite pyramidato, plerumque non depresso.

a. Scutellis frontalibus 7.

α. Squamis medii dorsi obsolete carinatis, sublaevibus; capite subdepresso.

2. G. *taeniatus M.* (l. c.) Supra albido-coerulescens, nigro taeniatus; squamis dorsi medii obsolete carinatis, ceteris laevibus; Mexico.

β. Squamis medii dorsi exacte carinatis; capite non depresso.

3. G. *coeruleus M.* (l. c.) Supra obscure coeruleus, nigro maculatus; capite, gula ventreque nigrescentibus, lateribus trunci nigro alboque variegatis; squamis laterum carinatis; scutellis internasalibus parvis 2. Brasilia.

4. G. *tessellatus M.* Superne olivaceo-griseus, nigro punctatus, inter plicam lateralem nigro tessellatus; squamis nuchae latioribus quam longis quadrangulis, obsolete carinatis, laterum laevibus, scutellis internasalibus parvis 3. Mexico.

Syn. G. *liocephalus M.* l. c. — *Scincus ventralis.* Peale et Green. Journ. of the Acad. of natural sc. of Philadelphia VI. p. 233.

b. Scutellis frontalibus (posterioribus) 4, per paria dispositis.

α. Squamis ventralibus in quavis serie 14.

5. G. *rudicollis M.* (l. c,) Robustus, superne olivaceo-griseus, lateribus fusco taeniatis, squamis in quavis fascia cervicali senis, subsquarrosis. Mexico.

β. Squamis ventralibus in quavis serie 12.

6. G. *imbricatus M.* (l. c.) Gracilis, olivaceo-griseus, immaculatus, squamis caudae superis carinatis, mucronulatis. Mexico.

7. G. *lichenigerus* Wagl. (G. adspersus m. in literis et icone.) Gracilis, superne rufescenti-olivaceus, albo guttatus, squamis caudae superis obsolete carinatis, obtusatis, muticis. Mexico.

Species dubiae.

8. G. *Burnettii.* Gray. (Syn. Rept. p. 64.) incertae patriae, hisce verbis descriptus:
Scales of back, and sides of body and tail, obliquely foursided, slightly keeled; dark brown; sides with dark bands and cross rows of white spots beneath.

Descriptio specierum Mexicanarum.

1. G. DEPPII M. ater, albo maculatus, squamis dorsi magnis, laevissimis; plica laterali obsoleta.

Vide iconem tab. IX. f. 2.

Caput ovato-subcordatum, magnum, truncum paene dimidium aequans, depressum, postice valde dilatatum, hinc a collo magis quam in congeneribus distinctum. Scutellorum dispositio, qualem supra descripsi. Internasalia (frontalia anteriora aut.) parva trapezoidea; *frontalia* 5, illis plus duplo maiora, magnitudine subaequalia, intermedium exacte rhombeum. Scutella verticalia sex ut in ceteris; anterius oblongo-hexagonum, antice posticeque in acutum desinens angulum. Scutellorum verticalium posteriorum paria duo intermedium impar cuspidiforme utrinque cingunt, quorum par posticum anteriori vix duplo maius. Scutella verticalia accessoria bina lateralibus utrinque adiacent, quorum anterius minus, latiusculum, subtrapezoideum posterius duplo maius, polygonum. Occipitalia numerosa. Scutella nasalia accessoria tria inveniuntur; posteriora duo minima, superius unum angustum. Scutella lorea bina utrinque adsunt; anterius forma varium angustum vel latum, quadrangulum; posterius, irregulariter hexagonum, in frontem adscendit. Labium superius 9—10 scutellis vestitur, quorum ultima duo anterioribus subaequali altitudine praeditis multo maiora, irregulariter quinquangula. Sextum, septimum et octavum oculo subiacent. Penultimum altius adscendit, orbitam a tergo attingens; hinc e scutellis temporalibus unum tantum orbitae a tergo adiacet. Truncus elongatus, gracilis, plica laterali magis quam in ceteris obsoleta. Squamae dorsi scutiformes, maiusculae. Laevissimae; laterales exacte quadrangulae, fascias transversas rectas 16—17 constituunt, in dorso medio haud exacte congruentes, unde quae dorsi fastigium occupant subimbricatim positae magisque irregulares apparent. Cervicem squamarum minorum minusque regularium series 4 vestiunt. Squamae gulares magnae, subhexagonae, irregulares, squamas abdominales magnitudine subaequantes vel iis parum maiores. Squamae abdominales laevissimae, mediocres, obtuse quadrangulae, per series transversas dispositae, quarum quaevis 14 earum continet. Cauda versus apicem sensim attenuata, ubique teres, squamis quadrangulis, plerumque angustis annulatim cincta.

Color capitis, trunci, membrorum caudaeque superne niger maculis candidis, in dorso fascias, in cauda annulos 10—11 aemulantibus variegatus; latus inferum totius animalis albicat, scutellis abdominalibns nigro marginatis.

Mensurae: Longitudo capitis $1\frac{1}{12}''$.
——— trunci $2\frac{5}{8}''$.
——— caudae $4\frac{5}{8}''$.

Fortasse huc referas lacerti speciem ab Hernandesio commemoratam p. 67. c. 41 his verbis: „Secunda vero, quam a colore nigro Cutezpalin vocant."

4. G. TAENIATUS M. albido-coerulescens, nigro-taeniatus, squamis dorsi medii obsolete carinatis, laterum laevibus, plica laterali distincta, sub antipedibus incipienti, scutellis frontalibus 7.

Vide iconem Tab. IV. f. 1.

Caput mediocre, tertiam trunci partem aequans, minus, quam in praecedente depressum, scutellatum. Scutella internasalia perparva, duo; frontalia 7 maiora, magnitudine inaequalia, laterali utrinque secundo reliquis longe minori, intermedio rhombeo-subhexagono. Scutellum verticale anterius hexagonum, sed angulo antico obtusissimo, hinc ad pentagonalem formam alludens. Scutella verticalia posteriora quinque, paria scilicet duo cum intermedio impari, cuspidiformi. Par secundum anterius magnitudine plus duplo superat. Verticalia accessoria utrique lateri bina adiacent, anterius parvum trigonum, posterius duplo maius, subpentagonum. Scutellum nasale ternis includitur accessoriis, magnitudine subaequalibus, minimis, uno scilicet supero, binisque posticis. Scutella lorea duo, quae congenerum; anterius subrhombeum parvum, posterius magnum, hexagonum, in frontem parum adscendens. Labium superius scutellis 11—12 utrinque vestitur, quorum antica 8 quadrangula; septimum, octavum, nonum oculo subiacent; decimum altitudine parum excellit, hinc orbitam a tergo temporalia duo includunt.

Truncus modice longus, squamis quadrangulis per fascias triginta transversas dispositis cinctus. Squamae dorsales mediocres, quarum intermediae obsolete carinatae, laterales laeves, exacte quadrangulae, fascias 21 constituunt, in dorsi fastigio obtuso angulo convergentes, hinc squamae intermediae minus regulares et subimbricatim dispositae apparent. Collum fasciis squamarum minorum minusque regularium quinque vestitur; tres in sacrali regione numerantur. Squamae gulares abdominalibus parum minores, transverse dispositae, mediocres, obsolete quadrangulae, laevissimae. Squamae abdominales itidem laevissimae, subrhombeae per series transversas, quarum duodenas singulae squamas complectuntur, dispositae. Plica lateralis hic satis distincta, intus squamis minimis obsita, sub propedibus quidem desinit, at squamulis multis, colli latera ad aures usque obtegentibus indicatur.

	Speciminis iunioris	*adulti.*
Mensurae:	Longitudo capitis $10'''$	- - - - capitis $1\frac{1}{8}''$.
	——— trunci $2\frac{1}{2}''$	- - - - trunci $3\frac{1}{2}''$.
	——— caudae $5''$	- - - - caudae $6\frac{1}{4}''$.

Color trunci caudaeque superne albido coeruleus, pileo taeniisque tribus pone angulatis, ac vitta temporali obliqua nigris. Gula venterque albicant. Cauda semiannulis 15 cincta; membra nigro fasciata.

Huc haud inepte referas, nisi fallor, Hernandesii verba: „Prior occurrit illa, quam Totopecenses, apud quos frequens est, Cuti patria lingua vocant, mediocri magnitudine, albo et nigro variata colore; est in ea insigne, in posteriores pedes sese attollere et anguium modo edere sibila." Hernand. tract. III. c. 41. p. 67.

5. G. TESSELLATUS M. Superne olivaceo-griseus, nigro punctatus, inter plicam lateralem nigro tessellatus, squamis nuchae latioribus quam longis, quadrangulis, obsolete carinatis, scutellis internasalibus parvis 3, frontalibus 7. [41])

G. *liocephalus* m. [42]) antea. Isis 1828. l. c. — *Scincus ventralis.* Peale et Green Journ. of the Academ. of natural Scienc. of Philad. 1830. VI. p. 233. Capitis superficiem delineatam dedi. Tab. X. fig. 3.

Nota 41. Scutella capitis sequentium specierum quominus facilius distinguerentur, colorum diversitate in icone notavi, quorum flavus scutella internasalia, aurantiacus frontalia, rufus verticalia cum adscitis, roseus occipitalia, coeruleus superciliaria indicat.

Nota 42. Nomen mutavi, quia in iunioribus Gerrhonotis scutella pilei planiora capitis superficiem sublaevem reddere didici; unicum quod vidi specimen, prima iuventute captum fuisse et corporis mensurae cum iis, quae scriptores Americani dederunt, comparatae, et iuvenilis colorum splendor satis superque arguunt.

Caput oblongo-ovatum, tetragono-pyramidatum, scutellis planis nequaquam prominulis, hinc laevigatum, rostro magis quam in sequentibus speciebus depresso, acutiori rectaque sensim descendente. Scutella internasalia minima tria, pentagona, intermedium lateralibus minus, postice rotundatum. Frontalia 7 quorum intermedium rhombeum, subhexagonum, ternis utrinque inclusum, anticis scilicet angustis, oblique positis, intermediis parvis, rhombeis, posticis magnis subpentagonis. Scutella nasalia accessoria tria, unum scilicet superius, bina posteriora minima, ex his illud angustum, longiusculum, superum, internasalibus a tergo adiacet, ut iis primo aspectu facillime adnumeretur (quod mihi etiam antea accidit); posteriora scutellum loreum primum, angustum, elongato-hexagonum antecedunt. Loreum alterum maximum, irregulariter hexagonum, latissimum, apice in frontem adscendit. Verticale anterius elongato-hexagonum utrinque acutangulum, in utroque latere leviter sinuatum. Verticalium posticorum par anterius scutellum intermedium magnitudine aequat; a posteriori parum superatur. Scutella accessoria verticalibus bina utrinque adiacent. Occipitalia anteriora tria hexagona, magna, cetera squamis cervicalibus, quoad magnitudinem formamque similia. Truncus elongatus, gracilis, teretiusculus, squamis duris per fascias LVIII dispositis, ex quibus cervicem fasciae novem, dorsum, XLV, sacralem regionem IV obtinent. Squamae cervicales in quavis fascia 10 numerantur, latiores, quam longae, quadrangulae, adpressae, obsolete carinatae, sublaeves ac prorsus muticae. Squamae notaei parvae subquadratae, laterum laeves, dorsi medii carinatae, carinis in lineas 8 longitudinales confluentibus, quarum intermediae binae ante caudae basin evanescunt, externae utrinque in caudae basin transgressae, sensim abolentur. Squamae abdominales laeves in singulis fasciis duodenae adsunt. Cauda corporis fere duplam longitudinem attingit, basi obsolete quadrilatera, ceterum teres, sensimque attenuata. Squamae caudales superae subimbricatae, carinatae, carinarum lineis 6 obsoletis, laterales oblongo-quadrangulae laeves, angustae.

Color superne virescenti-griseus, in capite, mesonoto caudaque olivaceo mixtus, nigroque punctatus, in plica laterali maculis quadratis nigris tessellatus. Labium superius ad aures usque candidum, vittaque nigra, sub rostro incipienti, superne marginatum. Gula et gastraeum e coerulescenti albicant. Venter lineis longitudiralibus 9 nigris variegatus, cauda subtus nigro punctata.

Caudae pars regenerata colores quidem genuinos requirit, sed punctis nigris caret.

Mensurae: Capitis longitudo 7‴
Trunci 2″ $4\frac{1}{2}$‴
Caudae (ex parte, ut videtur, regeneratae) 2″. [43])

4. G. RUDICOLLIS. M. Robustus, superne olivaceo-griseus, lateribus fusco taeniatis, squamis cervicalibus in quavis fascia senis, subsquarrosis, abdominalibus 14.

Cf. Iconem opusculo nostro adiectam in tab. X. fig. 1. et capitis superficiem superam ibid. fig. 4.

Caput tetragono-pyramidatum, scutellis pilei prominulis sulcisque interstitiorum profundis asperum, trunci tertiam fere partem longitudine aequat. Rostrum obtusum, leviter devexum. *Scutella internasalia* duo parva, obsolete subpentagona. *Frontalium* paria duo, quorum anterius praecedentibus vix duplo maius in rostri latere parum descendit, a posteriori pentagono magnitudine superatur. *Verticalia* sex, uti in ceteris disposita, quorum anterius magnum, oblongo-hexagonum, utrinque subsinuatum, inter orbitas extenditur. Posteriorum paria duo subrhombea intermedium impar rhombeo-subhexagonum ab utroque latere amplectuntur. Adscitum utrinque unum lateralibus adiacet. *Occipitalia XI* numero, forma atque magnitudine perquam diversa. Ex iis duo minima, subrhombea verticalium posteriorum intermedio pone adiacent. Deinde quinque ad lineam disposita sequuntur, quorum quae latus utrumque occupant, oblongo-hexagona, magnitudine prae ceteris praecellunt; quatuor deinceps, e quibus intermedia duo subpentagona, lateralia triangularia sunt, agmen a tergo claudunt. *Scutella temporalia* duodecim (quater terna) utrinque numerabam. *Scutellum nasale* utrumque accessoriis subbinis includitur, superiori scilicet minimo, subobsoleto, ac postico itidem solitario, parvoque nec magis constante. (Utrumque propter parvitatem omisit artifex.) *Lorea bina* adsunt, primum altius, quam latum, angustum, alterum dilatatum, irregulariter pentagonum, basi angustatum. *Scutella marginalia labiorum* in maxilla XI, in mandibula IX numerantur.

Nota 43. Scriptores Americani T. R. Peale et J. Green, eandem speciem describentes, adultis speciminibus l. c. hasce tribuunt dimensiones:

„Dimensions of a middle sized specimen 15 inches.
Length of the body, $5\frac{1}{2}$ inches.
Length of the tail, $9\frac{1}{2}$ inches."

Iidem hanc speciem ab indigenis Escorpion nominari ac magnopere horreri testantur. Nos sub eodem nomine et Heloderma horridum accepimus, et duas alias huius generis species, Gerrh. imbricatum et lichenigerum; itaque hoc nomen quasi pro generico de olivaceis Gerrhonoti speciebus in usu esse suspicor.

Truncus modice longus, robustus, exacte tetragonus, squamarum durissimarum fasciis XXVII, cervicalibus nimirum V, dorsalibus XIX, sacralibus III superne loricatur. Cervicalium singulae senas continent squamas, magnitudine formaque inaequales, quadrangulas vel triangulares, imbricatas, carinatas, atque prosilienti carina plerumque mucronatas. Squamarum, imprimis lateralium, acute trigonarum carinae, mucrone brevi obtusoque ultra apicem prominulae, cervicem et tactu asperam, et squarrosis squamarum apicibus in utroque latere quasi denticulatam reddunt. Colli latera squamis granulosis parvis obsita. Squamae intermediae totius dorsi carinatae, subimbricatae, atque prominentibus carinis quasi mucronatae, latiores minusque regulares; laterales carinis obsoletis sublaeves, duplo longiores, quam latas observo. Ex iis in medio trunco bis terve binae in quavis fascia supra plicam lateralem iacent, quod non nisi in hac specie, sed semper observavi. Carinarum continuitate in summo dorso lineae octo oriuntur, quarum quum intermediae quatuor antice posticeque in duas confluant, ut in interscapulio, ita etiam in postremo tergo sex tantum numerantur, quarum intermediae in regione sacrali rursus in duas easque eminentiores coëunt, cum externis in caudae initio simul excurrentes, ibique sensim evanescentes. Abdomen triginta circiter squamarum fasciis vestitur, quarum singulae quaterna dena scutella continent. Caudam basi exacte quadrilateram, quum in adultis animalibus nostris mutilatam invenerim, ad mensuras in pullis sumptas, in icone ex proportione restituendam curavi.

Color capitis, dorsi caudaeque superae e griseo virescens, olivaceo mixtus, punctis nigrofuscis creberrimis conspersus, in latere utroque taeniis transversis nigrofuscis, in dorso medio pallidioribus variegatus. Gula et abdomen coerulescenti-albida, guttis nigrofuscis in lineas longitudinales dispositis picta. Caput et membra aliis nigrofusco alboque guttata, aliis prorsus immaculata. Longitudo capitis 1", trunci $3\frac{3}{4}$".

Hanc speciem in quercetis inter saxa scincorum more latitantem invenit Deppius. Feminae unius ventrem aperiens oviductus pullis quinque et duobus insuper vitellis repletos observavi; hinc eam nudos foetus parere constat, nec mihi absonum videtur, idem de ceteris speciebus coniicere. Foetus, quos hoc modo ex oviductibus evolvi, adultis simillimi sunt, at pilei scutella, licet numero totidem, nequaquam prominent, sed planam laevissimamque pilei superficiem exhibent. Praeterea scutella occipitalia ab adultorum scutellis nonnihil discrepant. Duo enim verticali intermedio a tergo adiacentia longe quam in adultis maiora invenio. Externa primae seriei, quae in adultis latissima, hic quidem itidem prae ceteris magnitudine excellunt, nec tamen eandem habent latitudinem. Cervicalia externa cuti arcte adpressa sunt. Color corporis prorsus idem, qui in adultis.

5. G. IMBRICATUS M. Gracilis, olivaceo-griseus, immaculatus, squamis caudae superis carinatis, mucronulatis.

Icon: Tab. X. f. 2.; capitis ibidem fig. 5.

Caput ovato-pyramidatum, trunci tertia parte minor, scutellis convexis, rostro curvatim descendente. Forma in speciminibus nostris nonnihil variat; in altero rostrum acutum, occiput minus incrassatum, in altero illud obtusum, hoc valde incrassatum. Numerus atque ordo scutellorum in utroque idem; forma atque magnitudo verticalium leves ostendit differentias, quibus tamen specierum diversitatem nullam indicari puto. Scutella pilei sulcis profundis a se invicem distinguuntur. Scutella internasalia bina frontalibus parum minora. Frontalia 4 magnitudine subaequalia, pentagona. Verticalia in cuneum disposita, cuius apicem primum eorum, basin 5 posteriora explent. Verticale primum elongato-hexagonum, brevius, quam in sequente specie, nec depressum. Verticalium posteriorum bina subaequalia, intermedium impar, hexagonum, ab utroque latere amplectuntur. *Lateralium par posticum intermedio impari minus. Verticalia adscita duo lateralibus utrinque adiacent.* Occipitalia 9, e quibus unum, parvum, verticali intermedio adiacet, circumiacentium 4 maiorum semicirculo inclusum, quibus duo ab utroque latere apposita sunt. Scutellum nasale accessorium superius unum magnum, posticum nullum. Truncus gracilis, obsolete tetragonus, squamis duris per fascias 37 dispositis, quarum septem in cervice, 26 in dorso, tres in regione sacrali numerantur. Squamae cervicales in fasciis anterioribus singulis 8, obtusatae, obsolete carinatae, hinc mucrone fere penitus destitutae, cutique magis quam in rudicolli appressae. Colli latera squamis minimis ut in praecedenti vestita, at plica lateralis gulae minus quam in illo obsoleta. Squamae dorsi exceptis infimis sublaevibus exacte carinatae ac carinarum apicibus prominulis brevissime mucronatae, in dorsi fastigio latiores atque distinctius imbricatae. Lateralium inferiorum ubique singulae in quavis fascia adsunt. Cauda ultra dimidium subtetragona, deinde teres, supra squamis carinatis mucronulatis tecta.

Color trunci membrorumque virescenti-griseus, in medio dorso et capite olivaceo permixtus, subtus coerulescenti-albidus; caudae color idem sed superne in olivaceo-rufum vergens.

Longitudo capitis 9‴.
——— trunci $2\frac{7}{8}$″.
——— caudae 3″ 5‴.

6. G. LICHENIGERUS. Wagl. Gracilis, superne rufescenti-olivaceus, albido vittatus, squamis caudae superis obtuse carinatis muticis.

G. *lichenigerus.* Wagl. Ic. Amph. t. 34. f. 2. (Figura bona.)

G. *adspersus* M. in literis et icone huius speciei f. 6.

Caput tetragono-pyramidatum, trunci tertia parte minor. Rostrum subcompressum, superne sulco profundo exaratum. *Vertex medio valde impressus.* Tempora tumescentia. Scutella internasalia duo frontalibus parum minora. Frontalia 4 magnitudine subaequalia pentagona. Verticalia ut in ceteris disposita; primum oblongo-heptagonum, postice truncatum, posteriora 5, intermedium impar lateralibus binis utrinque inclusum. Ex his *lateralium posteriora intermedium longitudine aequant, anteriora duplo excedunt. Verticalia adscita terna lateralibus utrinque adiacent.* Occipitalia 7 magnitudine subaequalia. Unum eorum verticali posteriori intermedio a tergo adiacet, ac circumiacentibus 4 semicirculo includitur, quibus unum ab utroque latere adiectum est. Scutella nasalia accessoria duo, superius magnum oblongo-quadrangulum, posticum parvum, obsoletum. Truncus elongatus subtetragonus, squamis duris per fascias XXXIX dispositis vestitur. Fascias squamarum in cervice V, in dorso XXX, in regione sacrali IV numero. Squamae cervicales in quavis fascia VIII adsunt, obtuse carinatae, mucrone prorsus destitutae, imbricatae, cuti arcte adpressae. Squamae dorsi fascias subregulares constituunt, quarum quaevis XII continet, in medio dorso obtuse carinatas, subquadratas, laterales infimas laeves. Carinae squamarum dorsalium obtusae, crassae, mucrone obtusissimo brevi prominent, porcas lineasque continuas 6 in medio dorso constituunt, eminentissimas, parallelas, quarum externa utriusque lateris in cauda dimidia sensim evanescit, internae in caudae basi convergunt, ut ibi duas constituant porcas obtusas in caudae fastigio excurrentes. Cauda elongata, terreti-subcompressa, basi tetragona. Squamae caudales superae obtuse carinatae, *apice omnino muticae, obtusatae vel subtruncatae.*

Corpus superne intense rufescenti-olivaceum, lateribus olivaceo-griseis guttarum albido-canescentium serie a medio dorso distinctis; abdomen albicans. Caput in nostro specimine punctis creberrimis canescenti albidis adspersum; in Wagleri specimine unicolor. Eandem coloris diversitatem supra in *G. rudicolli* adnotavimus, quam sexus differentia niti non a verisimilitudine abhorret.

Mensurae in nostro specimine:
Longitudo trunci: $3\frac{1}{8}$″
——— capitis: 1″
Cauda manca.

In specimine a beat. Waglero descripto:
Longitudo trunci: $3\frac{2}{3}$″
——— capitis: 10‴
——— caudae: $7\frac{1}{4}$″
} totalis $11\frac{3}{4}$″.

FAM. SCINCI.

Gen. EUPREPES m.

(*Euprepis* et *Gongylus* Wagl.)

Caput pyramidato-tetragonum, interdum depressum, scutellis regularibus tectum, rostro rotundato obtuso. Scutella internasalia (frontalia anteriora aut.) omnibus duo; frontalium et verticalium scutellorum numerus varius.

Nares laterales, prope apicem rostri, nunc scutellum nasale unicum medio perforantes, nunc in duorum scutellorum confinio sitae.

Oculorum palpebra superior mediocris vel brevissima, inferior illis scutellato-squamosa, his perspicillata (i. e. scutello pellucido perspicilli ad instar instructa).

Lingua papillis adpressis subsquamulosa, apice obtuso parum excisa.

Aures apertae, meatu auditorio brevi, squamulis spiniformibus nonnunquam munito.

Dentes maxillares cylindrici, apice obtuso plus minusve compresso; primores 7 vel 9.

Truncus subcylindricus, abdomine complanato obsolete tetragonus, angulo laterali obtusissimo, interdum vix ullo.

Artus breves, validi, maniculis pedibusque brevibus, digitis teretibus, non limbatis, scelidum quarto digito ceteris longiori.

Glandulae subfemorales nullae.

Cel. Wagler, verticalium imprimis scutellorum numerum respiciens, hoc genus in duo dispertitus est, frontalium insuper scutellorum ac dentium primorum numero discrepantia. Haec vero

omnia non multum curo. Scutella frontis in Gerrhonoti speciebus similiter variare didici. Dentes primores in Cnemidophoro similem ostendunt differentiam. Accedit, quod nonnullae species Euprepeos scutella, Gongyli dentes possideant, ut inter utramque sectionem prorsus intermediae sint. Quapropter Euprepem et Gongylum, genera a Waglero instituta, uno eodemque genere comprehendo, quod aliis notis uberius sic distinguo:

A. Scutellum verticale unum maximum; frontale unum; dentes primores 7, maxillares $\frac{14}{18}$; palatini nulli; nares inter scutum rostrale et nasale posterius intermediae (anteriori cum scutello rostrali conflato). Subg. GONGYLUS. Wagl.

a. Palpebra superior mediocris, inferior scutellata (species ad hanc sectionem pertinentes nondum mihi innotuerunt).

b. Palpebra superior brevis, inferior perspicillata: E. (G.) ocellatus. (Scincus variegatus. Schn. Sc. ocellatus. Daud.)

B. Scutella verticalia tria; frontalia tria; dentes primores 7, maxillares utrinque $\frac{20}{25}$; nares in medio scutello sitae (scutellis duobus in unum coalitis); squamae dorsi laeves. Subg. EUMECES. M. (εὐμήκης).

a. Palpebra superior mediocris; inferior scutellato-squamosa; dentes palatini numerosi: Scincus pavimentatus. Geoffr. Descr. de l'Egypt. — Scincus rufescens. Merr.

b. Palpebra superior brevis, inferior perspicillata: Scincus punctatus. Schneid.

C. Scutella verticalia tria; frontalia tria; dentes primores 9; palatini parvi, pauci, saepius nulli; nares in scutellorum duorum confinio (in scutelli nasalis primi fine) sitae. Subg. EUPREPIS. Wagl. (excluso Eumece.)

a. Palpebra superior mediocris; inferior scutellato-squamosa.

α. Squamis dorsi carinatis: Sc. *carinatus. Schneid.* (Sc. multifasciatus. Kuhl.) β. Squamis dorsi laevigatis: *Euprepes Lynxe.* m. (species Mexicana).

b. Palpebra superior brevis; inferior perspicillata.

α. Squamis dorsi laevigatis: *Sc. agilis.* Raddi. — *Sc. auratus.* Schneid. β. Squamis dorsi carinatis: Sc. *trilineatus.* Schneid. Sc. *quinquetaeniatus.* Licht. — Sc. *homalocephalus.* M. Isis. 1828. etc.

Addo quartam differentiam in hoc genere hucusque latitantem, cui quin generis dignitatem tribuam, nullus equidem dubito. Hisce definitur characteribus: *Caput* Euprepeos. *Dentes* primores 9; maxillares $\frac{16}{18}$, quorum anteriores conici, ceteri compressi, obtusi; (palatini parvi, numerosi). *Lingua profunde excisa, apicibus acutissimis bicuspis, basi papillis filiformibus dense obsita, versus apicem papillis adpressis subsquamulosa. Nares* in scutello nasali anteriori sitae, *postice scutellis accessoriis binis inclusae.* Palpebra superior mediocris, inferior scutellato-squamosa. *Scutella frontalia septem,* internasalia duo. *Verticalia* (anteriora) *tria* Euprepeos. Posteriora et occipitalia tria [44]). *Truncus* obsolete tetragonus, elongatus. *Squamae dorsi latae, striis eminentibus confertis exaratae. Cauda* elongata, basi obsolete quadrilatera, deinde tereti-compressa. *Pori femorales* nulli. *Digitus* plantarum quartus tertio vix longior.

Pars papillosa linguae crassa, antice excisa, supra partem apicalem altius elata, ut Lacertarum linguam Agamarum linguae subiectam putes. Propter hanc geminam quasi linguae structuram hoc novum genus *Diploglossus* rite appellabitur.

Huc pertinent α. Squamis carinatis (carina mediana obtusa): Sc. *Monotropis.* Kuhl. β. Squamis dorsi laevibus: Sc. *fasciatus.* Gray et Mus. Berol. (Brasiliae).

---

* *Nares in scutellorum duorum confinio; palpebra inferior scutellata; squamae dorsi laevissimae:*

E. LYNXE. M. Supra olivaceo-cinereus, capite lateribusque nigrofuscis; striis albicantibus quinque, lateralibus in rostri apicem excurrentibus, intermedia in fronte furcata; cauda elongata, crassa, pulcerrime cyanea.

Syn. *Scincus quinquelineatus, varietas.* M. *Beiträge zur Amphibienkunde. Isis.* 1828. p. 373. [45]).

Nota 44. Scutella occipitalibus ceterorum respondentia hic antrorsum magis amota, ut prima eorum series ad verticalia aperte pertineat; hinc occiput squamis totum obtegitur et scutellorum verticalium eadem apparet dispositio, quam ex Gerrhonoto supra descripsi.

Nota 45. Olim, priusquam *Scincum* (Euprepem) *quinquelineatum* Americae septentrionalis videram, nostram speciem pro eius varietate venditabam. Nuper *Cel. Fitzingeri* comitate illam accepi speciem, eamque a nostra toto coelo discrepare didici. *Euprepes quinquelineatus* squamis carinulatis, capite, dorso, lateribusque concoloribus, vittis albidis quinis, dorsali intermedia cum lateralibus in caudam usque continuata, eaque iam in occipite furcata, cauda deinceps graciliori, a medio inde leviter compressa, membris denique ut pro corpore longioribus distat.

Caput ovatum, subdepressum, rostro obtuso. Scutella internasalia, uti in ceteris, duo parva, trapezoidea, in medio rostro contigua. Scutellum frontale anterius breve, latissimum, transversum, hexagonum. Frontalia posteriora duo pentagona. Verticale anterius postice angustatum, antice latius, campanulato-hexagonum; posteriora duo obliqua, obtuse quadrangula. Occipitalia anteriora 3; intermedium latum, antice angulatum, pone rotundatum; lateralia trapezoideo-pentagona, intermedio maiora. Occipitalia posteriora 4, (paria duo) hexagona, (squamiformia), latissima, brevia. Temporalia utrinque quaterna, polygona, praeter extremum angustum, squamiforme magna, superius in occipitis planitiem adscendens. Scutella lorea duo; anterius angustum, quadrangulum; posterius latum, pentagonum. Scutella orbitalia anteriora 3 minima; posteriora duo; supraorbitalia 4, scutellis minimis quinis extrinsecus marginata. Sc. marginalia labiorum 8, superiorum quintum et sextum sub oculo iacent. Squamae trunci quales in ceteris, sed laevissimae et nitidissimae. Cauda crassa, ubique teres, in basi subdepressa, in ultimo demum triente attenuata. Membra ut pro corporis longitudine breviora. Color dorsi olivaceo-cinereus, in capite obscurior, in nigrofuscum vergens. Vitta lata atra in capitis ac trunci latere ad caudae basin excurrit, lineis binis, in ipso rostro incipientibus, virescenti-albidis a dorso ventreque inclusa. Linea eiusdem coloris, in cervicis dorsique medio excurrens, in adultis iam ante dorsi initium evanescens, verticem medium transit et, in ipsa demum fronte obtuso angulo bipartita, cum lineis lateralibus in figuram subrhombeam (in adulto animali minus conspicuam) confluit. Abdomen gulaque coerulescunt. Labia, mentum et summum pectus albicant. Cauda basi cum dorso concolor, vittisque destituta, colore pulcerrime cyaneo splendet.

Longit. trunci $2\frac{3}{16}''$; caudae $3\frac{1}{4}''$; brachii $2'''$, antibrachii cum manicula ad apicem digiti intermedii usque $4'''$; femoris $3'''$, cruris cum pede ad apicem digiti quarti $6'''$. Mensurae speciminis iuvenilis: Longitudo trunci cum capite $1''$, caudae $1''$ $2'''$.

Specimina nostra prope Chico invenit Deppius et vivi animalis iconem, Lynxe nomine inscriptam, simul misit. Hernandez speciem commemorat his verbis (tract. III. c. II. p. 59.): „Postremum genus peculiari nomine Tetzauhcoatl, quod raro occurrat, nuncupatum, ac prorsus a Tetzauhcoatl serpente diversum, parvulo ac paene nullo, sed letifero (ut ferunt) morsu, omnium est minimum, fusci coloris in fulvum inclinantis, sed cauda magna ex parte cyanea." Vides eodem nomine Tetzaucoatl diversa animalia, serpentem et lacertam, appellata esse; hoc ex *tetzahuitl* (i. e. res atrox, horribilis) et *coatl* (serpens) formatum esse a Doctissimo Buschmann, linguae Mexicanae peritissimo viro, didici.

Series III. *Pachyglossi.*

Sectio 1. Crassilingues.

FAM. 1. *DENDROBATAE.*

Gen. I. CHAMAELEOPSIS. M.

Cf. Commentat. meam de Chamaeleonte mexicano. Isis 1831, 3. p. 296 sq.

Caput pyramidato-tetraëdrum, subaequilaterum, clypeolis irregulariter multangulis tectum; rostro obtuso; fronte parum adscendente, plana, in clypeum cordiformem expansa; vertice superne concavo, galeam occipitalem compresso-triedram, subpyramidalem, acie postica rotundatam exserente.

Nares laterales, prope apicem rostri, ovali-subrotundae, scutellum nasale antice perforantes, retrorsum patulae.

Oculi magni, palpebris squamulosis, fissura magna horizontali aperiendis. Superciliorum margo osseus medio interruptus.

Membrana tympani superficialis, aculeo triangulari, depresso (ossis temporum) superne munita.

Lingua crassa, ovata, basi subsagittata, villoso-papillosa, obtuso apice vix emarginato.

Dentes primores 8 vel 9, simplices, conici, maxillares 16—18 (excepto primo simplici) lineares, compressi, apice trilobi, mandibulares utrinque 21—22; palatini 5—6 longiusculi, conici, obtusi, oblique introrsum versi.

Gulae cutis laxa, saccata. *Jugulum* transverse plicatum. *Nuchae* cutis e galea occipitali suspensa, crista destituta.

Truncus compressus, in dorsi fastigio dentato-cristatus, supra subtusque squamis imbricatis vestitus.

Cauda longa, gracilis, compressiuscula.

Artus graciles, postici anticis fere duplo longiores, pedes pentadactyli, digitis antrorsum versis, gracilibus, subtus tuberculato-mucronatis, plantarum quarto ceteris multo longiori. *Ungues* falculares, in propedibus longissimi, acutissimi.

Pori femorales desunt.

De huius generis anatome haecce observavi:

Galeam occipitalem os verticale solum processu singulari oblique retrorsum assurgente constituit. Corporis forma huic ossi eadem, quae in affinibus, modo latera tenuiora, latiora ac magis deorsum flexa. Ramis suis acuto angulo divergentibus veluti tectum ossi occipitali tam arcte incumbit, ut interstitia, quae alias inter utrumque adesse solent, hic nulla inveniantur. Superne galeam triquetram, inaequilateram exserit, cuius latera superiora, obtuso angulo convergentia, aream triangularem, acutam, concavo-triedram, basi lata ossi frontali intermedio insistentem formant; latus inferum acie rotundata subspathulatura ad perpendiculum descendit. Os frontale intermedium initio modice latum ac lineare, ubi cum osse verticali cohaeret, subito dilatatur. Ossa frontalia lateralia in hamulum compresso-triedrum producta, orbitae canthos protegunt, sed magno spatio distant. Hinc margo superciliaris osseus medio interruptus. Os frontale, orbitam penitus a tergo claudens, os zygomaticum latum, in laminam tenuem compressum et os temporale acutangulum, aculeo depresso supra aurem prominens, basi sua dilatata excipit. Vertebrae cervicales 6, omnes processu spinoso inferiori lato, subtruncato instructae, posteriores duae costis insuper spuriis praeditae. Dorsales 18 numero processu spinoso inferiori carentes, superiori longo, lineari, truncato praeditae. Tres anteriores costas spurias affixas habent, thoracis parietes sustinentes. Costae verae quinae utrinque cartilaginibus posteriori sterni areae affiguntur. Quae ceteris dorsi vertebris adhaerent, costae abdominales spuriae, longitudine sensim decrescunt nec cum compari connexae totam abdominis cavitatem cingunt. Vertebrae sacrales duae processibus transversis elongatis pelvin sustinent. Caudales 40 numero, priores 7 processuum transversorum ac spinarum superiorum longitudine, ceterae corporis sui gracilitate insignes. In ipsa articulatione omnes fere ossiculum ypsiloideum (processum spinosum inferiorem) duplici radice affixum, in postremis sensim deminutum gestant. Ossa pubis horizontalia, applanata ac subtriangularia, per symphysin iuncta. Ossa ischii ossiculum ypsiloideum postice ad symphysin affixum gestant. Apparatus sterno-scapularis Iguanae typum sequitur, differt tamen osse scapulari supero simplici, nec digitatim ramoso, et coracoideo dolabriformi ac penitus integro. — Ossis hyoidei eadem fere structura, quae in Iguana, sed cornua anteriora prope articuli secundi basin in angulum obtusum dilatata. Epiglottidis perparvum rudimentum. Pulmones ovato-oblongi, intus cellulosi, infra appendiculati, cellulis prope basin confertis, minoribus, versus apicem maioribus paucioribusque, appendice sinistri lateris brevissima, dextri obtusa, cylindrica. Oesophagus amplus, intus longitudinaliter plicatus. Ventriculus oesophago parum amplior, infra in curvatura sinistrorsa angustatus, crassipellis, intus rugulosus, plicisque longitudinalibus crassis 6, prope curvaturam desinentibus. Plica longitudinalis crassa in ipsa curvatura ad partem infimam ventriculi tenuipellem, plicatura circulari transversa ab intestino separatam descendit. Intestinum totum peritoneo nigricante extus obducitur. Intestinum tenue intus plicis longitudinalibus crebris obsitum, initio mediocri amplitudine, sub ipso ventriculo appendice coeca auctum, mox iterum inflatur, deinde magis magisque constrictum intestino crasso ovato-oblongo, amplissimo, intus plicis tenuissimis reticulato continuatur. Coeci extus nullum vestigium conspicitur; intus diverticulum ad basin crassi ubi intestinum tenue ostio stellatim complicato in illud transit. Hepar bilobum, lobo dextro elongato, cystide magna. Lien oblongo-linearis, nigrescens, ad laevum ventriculi latus, supra pancreate lineari, elongato situs. Vesica urinaria ampla, ovalis, semipollicem circiter longa.

CH. HERNANDESII. M. Squamis dorsi adpressis inaequalibus, aliis laevibus, aliis carinatis, fasciatim dispositis; plica laterali parva supra axillis femoribusque cristaeformi.

Syn. Quatapalcatl seu Chamaeleo Mexicensis. Franc. Hernand. Tract. III. c. XIII. p. 61. — Cuapapalcatl s. Chamaeleo Mexicanus. Joh. Fabr. Lynceus ibid. p. 721.[46]) c. figura

---

Nota 46. Faber Lynceus quae de nostro animali dixit, aperte ad iconem ab Hernandesio missam scripta atque erroribus plena esse iam olim ostendi. (Isis. 1828. p. 373.) Quod quum intelligerem, rudi iconi plus quam Lyncei verbis tribuendum esse putabam ac nimis festinanter hanc Hernandesii iconem ad *Basiliscum* (*Corythaeolum*) *vittatum* retuli; nondum enim Chamaeleopsis nostra in Museum Berolinense pervenerat. Qua vero accepta errorem protinus intellectum in Iside (1831. p. 296.) correxi. Hunc etiam Cel. Gravenhorst docte perstrinxit, lobum cutaceum Corythaeoli ad Chamaeleopseos galeam haud bene referri perspiciens; quasi in Hernandesii icone hanc duritiem digito pertentare, vel id e Lyncei, galeam pro latis auribus sumentis, descriptione intelligere posses. Reperto animali recteque a me ipso ad Chamaeleontem Mexicanum relato, omnia bene procedunt. (En ovum Columbi!) Antea vero nullum certe animal maiori iure ad Chamaeleontem Mexicanum retulisses. Hoc ex eo maxime intelligitur, quod sagacissimos viros Waglerum, (Syn. Amph. p. 148.) imo Kaupium, qui Chamaeleontem Mexicanum, in Museo Klinkenbergii sibi visum, ad Corythophanis genus summo iure antea retulerat (Isis. XX. p. 612.), in eundem errorem perduxi, ita ut illud animal in Basilisco vittato meo, cui Corythaeoli nomen imposuit, (Isis. XXI. p. 1147.) recognoscere putaret. Cel. Gravenhorst rei iam satis turbatae nuper novam obduxit caliginem, Corythaeoli genus an cum Chamaeleopsi congruat, etiamnum dubitans (l. c. p. 952.) At utriusque generis differentias diserte in allatis locis exposueram, ut omnem dubitationem, certe apud ceteros, quos novi, herpetologos, sustulisse mihi videbar. Hoc solum restabat, ut quibus a Corythophane, ad quem proxime accedit, discreparet, eruerem. Itaque optatius nihil mihi cadere poterat, quam quod Cel. Gravenhorst bona forte Corythophanis iconem sub novo *Iguanae pileatae* nomine ad me misit, ut cum nostri Musei animalibus compararem. Attamen ut animal ipsum mihi in breve tempus examinandum permitteret, a Cel. Viro obtinere non potui. Nihilominus quod maxime optaveram Cel. Tienemanni comitate mihi contigit, qui Musei Dresdensis exemplar egregium magna cum liberalitate mihi inquirendum permisit. Inde *Corythophanis generis characteres* hosce sumsi:

rudi. *Gray* Syn. Rept. p. 45. *Gravenhorst* Nov. Act. Ac. Caes. Leop. Carol. Vol. XVI. 2. p. 948 sq. c. icone mala. t. LXV. f. 1—5 [47]).

Caput clypeolis irregularibus, granuloso-rugulosis, multangulis vestitum. Frons planiuscula, leviter concava cum superciliis clypeum subcordatum constituit. Vertex in galeam compresso-triedram, superne concavam, postice ancipitem atque rotundatam assurgit. Ab aculeo temporali linea, clypeorum maiorum carinis orta, in galeae marginem superiorem adscendit. Nuchae cutis, ad galeam occipitalem suspensa, squamis inaequalibus ex parte carinatis vestitur. Cutis gulae laxa squamis angustis, obtuse quadrangulis, carinatis tecta, vix palearis rudimentum mentitur. Plica, squamis minimis intus obsita, a tympano in utroque colli latere ad interscapulium continuatur, ibique paullatim evanescit. Truncus superne squamis adpressis, inaequalibus, ex parte carinatis vestitus, in summo dorso squamis cristae triangularibus dentatus; in abdomine squamis imbricatis, obtuse subrhombeis, acute carinatis tectus. Squamae maiores dorsi carinatae, fasciatim dispositae, triplici vel quadruplici serie trunci latera cingunt. Linea duplex, cristam parvam referens, squamarum maiorum carinis continuis exorta, in regione sacrali supra femora in caudae basin excurrit. Membra gracilia squamis subrhombeis, carinatis, inaequalibus vestiuntur. Palmas plantasque pedum squamarum carinatarum apices, in tubercula incrassati, ad scansum idoneas reddunt. Digitus propedum intimus omnium minimus; secundus quinto parum longior; tertius quartum longitudine fere aequat; omnes falculis longissimis, compressis, acutissimis armati. Pedum digiti longitudine nimis inter se discrepant; eorum intimus minimus, secundus paullo longior, a tertio dupla fere longitudine superatur; quartus omnium longissimus; quintus secundo paullo brevior. Caudam longissimam, gracilem, subcompressam squamae imbricatae oblongo-subrhombeae obtegunt. Color e griseo flavescit, fusco hic illic variegatus. Truncus aliis unicolor, aliis fasciis liturisque fuscis pictus. Macula magna fusca, aliis pone tympanum, in nuchae latere, aliis ante tympanum supra oris angulo. Aliis nulla fascia in fronte, neque in gula, tunc pure lactea; truncus his plerumque macula fusca sub plica axillari insignis, ceterum unicolor. Alia quibus dorsum fasciis maculisve fuscis ornatur, lituras nonnullas in fronte gulaque ostendunt. Omnibus fere cauda fusco annulata. Quid ex hisce diversitatibus sexui tribuendum sit, uberius indagandum est.

Longitudo capitis ad galeae marginem posticum $1\frac{3}{4}''$, ad angulum oris $1\frac{1}{4}''$, trunci $2\frac{3}{4}''$, caudae $8\frac{3}{4}''$.

Habitat in calidis Mexici regionibus arbores et fruticeta frequentans.

Gen. II. CORYTHAEOLUS. Kaup.

Cf. Commentationem meam: *Beiträge zur Amphibienkunde.* Isis 1828. p. 373. Kaup. ibid. p. 1147. Genus *Oedicoryphi* M. a Waglero (in System. Amphib. p. 148) e literis meis publicatum, non differt, itaque opprimendum [48]).

Caput breve, inaequilaterum; frons cum vertice concavo superficiem oblongo-rhombeam, excavatam exhibet. *Vertex* in galeam occipitalem triedram, leviter deflexam, apice acuto, acie superiori subrecta desinentem assurgens. Margo superciliorum osseus haud interruptus (?) *Nares, Oculi* Chamaeleopseos. *Membrana tympani* superficialis, aculeo temporali nullo. *Dentes* primores 8, simplices, conici, obtusi; maxillares utrinque 19, excepto primo simplici, conico, omnes coronide compressa, triloba; mandibulares 22, quorum anteriores conici, reliqui compressi, trilobi; palatini utrinque quaterni, oblique introrsum inclinati. *Lingua* crassa, villoso-papillosa, apice obtuso integra. *Cutis* nuchae e galeae apice suspensa, dentato-cristata. *Gula* paleari brevi, denticulato instructa. Cetera ut in Chamaeleopsi, sed falculae antipedum breviores.

Spec. C. *cristatus* H. Boie. (Agama cristata. Merr. Seba. tom. I. tab. 94. f. 4.)

Margines superciliares oblique sursum adscendentes. Rostrum obtusum, subtruncatum, planum. Frons anterior concava. Vertex inter orbitas subplanus, postice fovea triangulari profunda excavatus. Pilei totius superficies aream oblongo-subrhombeam, scutellis marginatam exhibet. Clypeoli in pileo multanguli, irregulares, laeviusculi. Galeae occipitalis acies superior scutellata, subrecta. Latera galeae squamis irregularibus laevibus clypeisque passim interspersis umbonatis vestita. Squamae laterales colli, adpressae, irregulares, laeves, paucae his intermixtae maiores, carinatae. Squamae trunci parvae, irregulares, appressae, laeves, aliae iuxta dorsi cristam et in latere dissipatae maiores, plerumque carinatae. Squamae pectorales et abdominales angustae, subquadrangulae, dorsalibus maiores, carinatae, oblique per fascias alternantes dispositae. Squamae gulares heterogeneae, aliae minimae, laeves, aliae oblongae, truncatae, alte carinatae, per vittas longitudinales, dichotomas dispositae. Gulae palear squamis maioribus, carinatis, ovalibus, squarrosis, initio simplici, dein duplici, postremo triplici serie dispositis denticulatum. Squamae membrorum maximae, rhombeae, carinatae, imbricatae. Plantae pedum subtus squamis parvis, alte carinatis scabrae. Cauda compressa, trunco fere duplo longior, squamis carinatis plerumque rhombeis tecta. Longitudo corporis ab apice rostri ad anum circiter 4″, capitis a rostri apice ad tympani marginem 11‴; in superficie pilei $1\frac{1}{4}''$, galeae a tympano ad apicem 1″, caudae 7″.

Juvenile animal, huic simillimum, descripsit Cel. Gravenhorst l. c. p. 938 sq., fortasse specie diversum, nisi deflexi superciliorum margines primae iuventuti tribuendi sunt. Vides haec genera paucis tantum characteribus differre, et si partium internarum fabrica conspirat, fortasse in unum coniungenda esse. Quod si fieri quondam oportet, Chamaeleopsin nostram *Corythophanen Chamaeleopsin* appellabo.

Nota 47. Uterque specimen male conservatum, a Deppio emtum descripsit. Color niger, quem Cel. Gray nostro animali tribuit, putredine ortus erat. Idem de Gravenhorstii specimine statuendum. Utrumque saepius in manibus habui, nullamque differentiam inveni, nisi e mala conservatione profectam.

Nota 48. Species huius generis typica an a Basilisco mitrato cranii, sceleti et internarum partium structura tanto-

Caput tetragono-pyramidatum, clypeolis minimis polygonis superne tectum, vertice plano, occipite tumido, (maris) lobifero.

Nares laterales, rotundae, prope apicem rostri, sub ipso cantho rostrali, antrorsum evanescenti, sitae, scutellum nasale solitarium medio perforantes.

Membrana tympani superficialis, ovalis.

Lingua crassa, papillosa, apice attenuato, obtuso subintegra. *Glottis* epiglottidis rudimento parvo instructa.

Dentes intermaxillares 8 (simplices vel in ♂ obsolete bilobi), maxillares 21—22 anteriores simplices vel lobo posteriori obsoleto instructi, posteriores latiores, subspathulati, compressi, trilobi, lobo intermedio maiori, obtuso, externis minoribus acutis; mandibulares 22, maxillarium forma; *palatini* tres, cylindracei, obtusi, obsolete subtrilobi.

Gulae cutis laxa, transverse plicata. *Collum* plica iugulari transversa, ad scapulas adscendente, a pectore distinctum.

Truncus compressus, subtriqueter, carinatus. Carina dorsi humilis, denticulata, spinis vertebrarum suffulta.

Cauda longissima, compressa, denticulata.

Artus elongati, graciles. Digiti propedum subtus duplici verrucarum serie instructi; pedum elongati, subtus in margine externo lomate denticulato fimbriati, interno tuberculorum serie ad scansum apti.

Pori femorales nulli.

C. vittatus. Kaup l. c. *Supra cinereus* (virescens), *vittis duabus albidis, taeniisque interruptis nigrofuscis* [49]).

Basiliscus vittatus. Mus. Berol. Isis l. c. p. 373.

Descriptio maris. Rostrum mediocre, acutiusculum, pyramidatum. Frons subplana, clypeolis multangulis, inaequalibus tecta. Vertex inter orbitas leviter concavus, pone orbitas planus, scutellis minimis squamiformibus vestitus. Supercilia squamis latis hexagonis carinatis, verticalia magnitudine superantibus vestita, series scutellorum polygonorum semicircularis a vertice utrinque includit. Vertex post orbitas in aream subrhombeam complanatus ac clypeolis parvis polygonis vestitus, medio carinam, fulcro osseo, quantum tactu percipere licet, sustentam, supra occipitis tumidi finem exeuntem, postice lobiferam emittit. Squamae occipitis parvae, laeves sunt, carinisve obsoletis umbonatae. Lobus cutaceus, obtuse triangularis, 6‴ altus, e summa nucha atque extremo occipite oriundus squamis maioribus polygonis vestitur. Tempora squamosa. Lorum clypeoli multanguli inaequales obtegunt. Labium utrumque scutellis octonis marginatur. Gulae cutis saccata, transverse plicata; collum plica iugulari a pectore constringitur, inter utramque plicam squamis maioribus rhombeis, carinatis vestitum. Squamae menti ac superioris gulae angustae, laeves; in nucha atque cervice parvae rotundato-polygonae. Truncus compressus in carinam squamis quadrangulis, maioribus, altius carinatis, imbricatis crenulatam assurgit. Squamae dorsi parvae, subrhombeae, seriebus transversis dispositae, quo propriores gastraeo, eo minores, ac carinis obsoletis convexiusculae; subtus in pectore et abdomine maiores, rhombeae, carinatae, imbricatae. Membra elongata, squamis rhombeis, in cruribus hexagonis, carinatis tecta; posteriora anticis plus duplo longiora, antibrachium brachii, crus femoris longitudine. Propedum digitus secundus quinto parum longior, tertius et quartus subaequales, pedum quartus ceteris multo longior. Cauda initio superne denticulata longissima, compressa, versus apicem subtetragona; subtus squamarum maiorum carinis continuis longitudinaliter striata. Squamae eius superae initio fasciis transversis regularibus dispositae rectangulae, mox subpolygonae ordinem formamque regularem exuunt.

Color, nimirum liquoris et luminis vi in coerulescenti-cinereum permutatus, in vivo animali dilute virescere videtur. Vitta albida, utrimque supra oculo incipiens, in supremo collo dorsoque excurrit, altera a naribus oriunda ac labium sequens, sub auribus cum vitta tertia submentali in unam eamque latiorem, supra humero evanescentem confluit. Maculae nigrofuscae, quadratae, iuxta dorsi fastigium ac supra vittam lateralem dispositae, cum aliis pallidioribus sub vitta laterali iacentibus, fascias quasi medio interruptas constituunt. Vitta angusta albida a rostro ad occi-

---

pere differat, ut genus peculiare constituere mereatur, tempus propediem docebit. Interim nomen, quod amicissimus Kaup, mea innisus descriptione, nostro animali imposuit, accipere haud detrecto.

Nota 49. Me hanc speciem, priusquam Chamaeleopsin videram, ad Chamaeleontem Mexicanum Lyncei et Hernandesii retulisse, iam supra (p. 38) monui. Capitis Corythaeoli figura, quantum digito percipere potui, ad Chamaeleopseos figuram ossis parietalis carina mediana, lobum cutaceum sustentante, quodammodo accedere videtur.

pitis cristam pileum medio dividit. Summum verticem macula magna fusca occupat, ad lobum occipitalem usque extensa. Mentum gula, pectus venterque albicant, griseo marmorata.

Longitudo corporis $4\frac{5}{8}''$, caudae $13\frac{1}{2}''$.

Descriptio feminae [50]). Rostrum brevius, latius, magisque obtusum. Frontem, quam in mare planam observavimus, in femina concavam invenimus; verticem magis quam in mare excavatum. Carina verticalis deest. Occiput magis quam in masculo complanatum. Lobus cutaceus neque tantam magnitudinem, neque eandem nanciscitur formam, sed duas circiter lineas altus, parvum circuli segmentum constituit; squamis praeterea minoribus, parauchenii squamas tantillum superantibus, vestitur. Corporis reliqui pholidosis eadem; color paullulum diversus, magis in flavido-cinereum vergit. Maculae nigro-fuscae prope dorsi fastigium alternantes uti in illo; maculae sub vitta laterali collocatae maiores ad gastraeum usque descendentes, quibus interspersae sunt maculae minores, albae vel nigrae. Caput superne nigro alboque variegatum. Vittae dorsales minus conspicuae, at fascia intense nigra ab orbita supra oris angulum ad tympani membranam tendit. Gula, pectus et abdomen albicant nigro cinereoque marmorata. Membra antica nigro conspersa, postica maculis superne magnis nigris, inferne punctis nigris picta. Cauda maculis nigrofuscis semiannulata, apicem versus unicolor, cinereo-grisea. Forma ac pholidosi caudae specimina nostra inter se discrepant. Mas enim caudam et crassiorem, et altiorem ostendit et in ipso etiam apice magis compressam, paucioribus squamis cinctam ac propterea tetragonam. In specimine femineo caudae apex pluribus iisque angustioribus squamis vestitur, hinc maior carinarum striarumque numerus oritur, quo quadrangularis forma magis evanescit. Proportionem etiam discrepare invenies, si corporis caudaeque mensuras utriusque speciminis comparabis. Truncus enim cum capite mensus in femina $4\frac{3}{4}$ poll. habet, cauda tantum $10\frac{3}{4}$; contra in masculo corpus $4\frac{5}{8}''$, cauda $13\frac{1}{2}$ poll. metitur. Hanc vero differentiam re vera nullam esse puto, sed caudam in femineo specimine regeneratam esse, nec rursus ad solitam magnitudinem excrevisse. Nam annuli fusci non, quod alias fieri solet, paullatim, sed repente evanescunt; et in eodem ipso loco squamarum forma subito permutatur, quae simul et minores, et angustiores, et magnitudine inaequales evadunt, atque eundem irregularem situm ostendunt, qualem in regeneratis caudis saepius observamus.

Gen. III. CYCLURA. Harl.

Cf. Journal of the Academy of natural Science of Philadelphia. Vol. IV. p. 250.— *Ctenosaura.* M. Isis. 1828. p. 371.

Caput pyramidato-tetraëdrum, longiusculum, superne clypeolis irregularibus, multangulis vestitum.

Oculi magni; palpebris squamulosis; orbita subtus scutellorum angustorum semicirculo cincta.

Nares laterales, ab apice rostri parum remotae, obovatae, extrorsum patulae, scutellum nasale magnum perforantes, eiusque margine prominulo marginatae.

Dentes primores 7 simplices, conici, acuti; maxillares 20—24, quorum primus simplex conicus, sequentes duo tresve maiores denticulo obsoleto instructi, reliqui compressi, tricuspides, mandibulares 24—30, quorum antici quatuor conici, simplices, ceteri tricuspides compressi. Dentes palatini numerosi (circiter 12 utrinque), serie gemina, oblique curvata dispositi, retrorsum proclinati, simplices, acuti, externi interioribus maiores [51]).

Lingua latiuscula, apice obtuso profunde emarginata. *Glottis* epiglottide vera, cartilaginea clausilis.

Gulae cutis laxa, transverse plicata, haud inflabilis.

Dorsum squamis minutis, rhombeis vestitum, crista fastigiali pectinatum, vel denticulatum.

Cauda elongata annulis spiniferis verticillata. Annuli spinosi in eius initio cum annulis muticis alternantes, in extrema cauda omnes aequaliter spinoso-mucronati. (An in omnibus speciebus?)

Nota 50. Alterum specimen, serius a Deppio missum, quum plurimis cum praecedenti conveniat, paucis vero discrepet, non specie, sed sexu tantum differre puto. Illud enim internarum partium perscrutatione masculum, hoc vero femineum sese prodidit. Quas igitur differentias iam enumeraturus sum, interea, dum pluribus confirmetur sententia nostra, e sexuum diversitate oriundas puto.

Nota 51. Cel. *Harlan* Cyclurae generi dentes palatinos deesse scripsit idque inter generis characteres recepit. Inde, novam Cyclurae speciem describens, hanc genus peculiare constituere opinatus sum, quod *Ctenosaurae* nomine appellavi. Sententiam postea mutavi et palatinos dentes vel a generis auctore praetervisos, vel in illius speciminibus casu effractos fuisse, mihi persuasi. Eadem amicissimi Wagleri sententia fuit. Nuper Cel. Gray Ctenosaurae genus restituit, quod probare nequeo; tanta enim externi habitus similitudo, ut, etiam si palatini dentes re vera desint, genus propterea non disiunxerim. Ceterum palatinos dentes in omnibus, quas examinavi, speciebus curvatam utrinque lineam describere vidi. Cel. Gray eos in *Ctenosaura armata* seriem simplicem (one row) constituere narrat, quod quomodo fieri possit, equidem non intelligo; nec cum natura convenire puto, quod *Cten. Bellii* et *Ct. lanceolatae* dentes palatinos bifasciculatos (in two bunches) tribuit.

Pori femorales, *Membra* valida; pedes pentadactyli. Digiti subtus scutellis tricarinatis denticulati. Ungues mediocres, acuti.

Hoc genus ad Iguanas proxime accedere, in propatulo est, nec tamen, quod Ill. Cuviero placuit, cum illis coniungendum. Obstat capitis forma, dentium corona simpliciter triloba, narium situs, gulae paleari destitutae plicatura, caudae denique pholidosis. De anatome huius generis pauca a Cel. Harlan adnotata invenies. Addo sceleti figuram Iguanae typum fere prorsus retinere. Dentium maxillarum numerum in diversis speciebus diversum observo, membrorum pholidosin eandem. Brachia extus squamis maiusculis, rhombeis, alte carinatis, intus parvis, laevibus vestita; propedes supra squamis rhombeis laevibus, subtus minoribus carinatis tecti. Femora squamis rhombeis, internis obsolete carinatis, sublaevibus, externis carinatis (anterioribus magnis, carinatis, posterioribus parvis,) squamis lateris postici minimis, laevibus obsita. Crurum lateris externi squamae anticae magnae, carinatae, posticae minores, interni lateris obsolete carinatae, sublaeves. Pedes superne subtusque squamis carinatis obteguntur. —

Species huius generis non satis explicatae sunt, in quas ut alii diligenter inquirant, vehementer exoptandum est. Speciminum maiori numero opus est, ut quid ex aetate, quid e sexus diversitate pendeat, exploretur. Nobis Cyclurae denticulatae tantum quatuor specimina perscrutari licuit; ceterarum unicum exemplar sub oculis erat. Quibus praemonitis in praesens hasce species distinguo, quarum quae dentibus palatinis carere dicuntur, praefixo signo (*) notavi.

A. Cauda extrema admodum compressa.

a. Crista dorsali alta, pectiniformi:

* 1. C. *carinata.* Harl. l. c. Fusca; crista dorsali inter scapulas et femora interrupta; poris femoralibus utrinque 20. — Habitat in insulis Bahamensibus (Turks-Island), mihi nondum visa. (Icon. l. c. t. XV.)

2. C. *pectinata.* M. Olivaceo-fusca, flavido variegata; crista dorsali continua, ante caudae basin interrupta; poris femoralibus utrinque 5. — Mexico.

Var.? Virescenti cinerea, fusco conspersa, cauda fusco annulata, poris femoralibus 6—7. — Mexico.

b. Crista humili.

* 3. C. *nubila.* Gray. (Syn. p. 39.) Coerulea fasciis obliquis ocellatis; zonis caudae inermibus quaternis cum spinifera alternantibus. Incertae patriae. Non vidi. Lacerta nebulosa. Shaw. (Clouded Lizard). Griff. an. Kingd. Vol. IX. cum icone.

B. Cauda tereti, medio parum compressa.

* 4. C. *teres,* Harl. l. c. Viridis (dentibus maxillaribus simplicibus, non denticulatis?); cristae inter femora interruptae spinis elongato-conicis, acutis; zonis caudae teretis binis inermibus cum spinifera alternantibus; poris femoralibus utrinque 7. — Tampico; mihi non visa — Hernandez p. 316. Rudis icon, a Nardo Antonio ad Siredonem falso relata. Meliorem iconem dedit Harlan l. c. tab. XVI.

5. C. *articulata.* M. Viridis, fasciis in medio dorso nigricantibus (dentibus compressis, denticulatis, maxillae 20, mandibulae 24); cristae dorsalis continuae, ante caudae basin interruptae, spinis brevibus, obtuse conicis, subarticulatis; caudae tereti-subcompressae zonis binis muticis cum spinifera alternantibus; poris femoralibus. 6—7. Mexico. An Ctenosaura armata. Gray. l. c. p. 38.?

6. C. (Ctenosaura) *similis.* Gray. l. c. Cinerea, nigro conspersa, fasciis trunci 4 nigris obliquis; crista dorsali humili, inter femora non desinente. — Patria ignota. — Nondum vidi.

7. C. (Ctenosaura) *Belli.* Gray. l. c. Cinerea, nigro adspersa; cristae dorsalis inter femora interruptae squamis latis, brevibus; zonis caudae muticis quaternis cum spinifera alternantibus. — Patria ignota — Mihi nondum visa.

8. C. *denticulata.* M. Viridis vel cinereo-virescens, fusco adspersa; cristae dorsalis, inter femora interruptae, squamis brevibus, compresso-trigonis; caudae tereti-subcompressae zonis muticis in basi ternis, deinde binis cum spinifera alternantibus. — Ctenosaura cycluroides. M. Isis 1828. Gray. S. A. pag. 37. an Ctenos. lanceolata. eiusd. l. c.?

9. C. (Ctenos.) *Shawii.* Gray. l. c. Dilute fusca; crista inter femora desinente; cauda terete, zonis muticis singulis cum spinifera alternantibus. — Lacerta acanthura. Shaw. Uromastix acanthurus. Merr. Ctenosaura acanthura. Gray. Mihi nondum visa.

Specierum Mexicanarum descriptio.

1. C. PECTINATA. M.

Vide iconem tab. II.

Olivaceo-fusca, flavido-variegata; crista dorsali continua, ante caudae basin interrupta, pectiniformi; cauda compressa; poris femoralibus 5.

Caput clypeolis multangulis irregularibus, impresso punctatis tectum; fronte ante orbitas parum convexa, dein rostrum versus rectâ sensimque descendente. Frontis verticisque clypeoli rotundato-polygoni, irregulares, convexiusculi; verticales umbone vel carina instructi, vix frontalibus minores, neque a superciliaribus minoribus scutellorum maiorum serie limitati; occipitis oblongo-multanguli, carinati; temporum rotundato-polygoni, umbonati. Scutella labiorum $\frac{12}{13-14}$. Squamae ad maxillae inferioris latera oblongo-hexagonae, scutiformes, carinatae. Squamae menti oblongae, obtuse carinatae; gulae pectorisque obtuse rhombeae, carinis obsoletis; abdonimales vix maiores,

laeviusculae, carinis vix apparentibus. Squamae doris laterumque parvae, rhombeae, carinatae, hinc cutis squamarum apicibus carinisque scabra. Crista dorsalis continua, pectiniformis, intervallo parvo vix a caudali diremta, ex aculeis 63—64 corneis, elongato-conicis, subrecurvis, obtusis, teretiusculis, basi gibbis, in regione sacra minoribus, triedris, acutiusculis, composita. Pholidosin membrorum supra descripsi (p. 42). Pori femorales maximi, distinctissimi, 4—5, squamis 8—9 circumdati. Pedum digitus tertius basin antepenultimae phalangis quarti longissimi rhizonychio attingit. Cauda iam ad basin leviter, deinceps valde compressa, in nostro specimine mutilata. Cauda scutorum oblongo-quadrangularium in aculeum productorum verticillis dimidiatis cincta, quorum 15—16 maiores, in caudae basi cum ternis, deinde binis inermibus alternant; a medio inde, muticis nullis intercepti, omnes aequaliter spinosi evadunt. Inermes verticilli bini singulum magnumque aculeum in caudae carina gestant, qui cum singulis spiniferorum verticillorum aculeis cristam fastigialem componunt. Squamae caudae inferiores aequales, angustiores, carinatae, mucronatae. Color olivaceo-fuscus, flavo-variegatus. Caput supra fuscum, circa orbitas et ad maxillae inferioris latera, exceptis taeniis duabus fuscis, flavum. Gula fusca, punctis flavis passim adspersa. Truncus supra olivaceo-fuscus, in fastigio nigricans, macula oblonga in colli latere supra scapulas evanescente et minori inferiori a tympano oriunda, antice punctis frequentibus, postice maculis in fascias confluentibus flavis variegatus; abdomine flavo, fasciis tribus fuscis; pectore fuscescente. Membra fusca, maculis punctisque flavis adspersa; regio sacralis et caudae initium flavo-cinerea, maculis nigro-fuscis undatim variegata. Cauda versus medium supra olivaceo-fusca; subtus e cinereo-flavicans. Longitudo capitis $2\frac{1}{2}''$, trunci $8\frac{1}{8}''$, caudae (quantum eius restat) $16\frac{1}{2}''$.

Var. Alterum specimen, quod effarctum nuper mihi in manus venit, ad tempus pro varietate sumo; differt potissimum colore virescenti-cinereo, maculis fuscis consperso, cauda fusco annulata, scutellis verticalibus subplanis, scutellorum maiorum serie a superciliis marginatis; poris femoralibus 6—7; maiori denique dentium numero, nam in maxilla 25, in mandibula 30 utrinque numerantur; in C. pectinata maxillares 20, mandibulares 25 invenio; at in utroque specimine dentium series saepius singulis effractis manca apparebat.

---

2. C. TERES. Harl.

Mihi nondum visa. Vide Harlani descriptionem l. c. p. 246. c. icone tab. XVI. — An a sequente satis distincta?

3. C. ARTICULATA. M.

Viridis, fasciis in medio dorso nigricantibus; cristae dorsalis continuae, ante caudae basin interruptae, spinis brevibus, obtuse conicis, subarticulatis; caudae tereti-subcompressae zonis binis muticis cum spinifera alternantibus; poris femoralibus 6—7. An Ctenosaura armata. Gray l. c.?

Caput in vertice et occipite planum; fronte posteriori subconcava, antica convexiuscula, arcuatim versus rostrum planum descendente. Rostri, frontis, verticisque scutella ac pholidosis tota sequentis; at supercilia clypeis minoribus obsita, a vertice unifariam clypeato scutellorum maiorum serie semicirculari inclusa. Crista in dorso continua, inter femora interrupta, aculeis 68 corneis, conicis, obtusis, quasi articulatis constat. (Forma igitur ad C. pectinatae cristam propius accedit). Digitus scelidum tertius phalangis antepenultimae quarti longissimi medium rhizonychio attingit. Etiam in basi caudae annuli mutici bini cum spinifero maiori alternant. Longitudo capitis $1\frac{5}{8}''$, trunci $4\frac{3}{4}''$, caudae $12\frac{3}{4}''$. Species dubia.

4. C. DENTICULATA. M.

Viridis vel virescenti-cinerea, fusco conspersa; cristae dorsalis, inter femora interruptae, squamis brevibus, compresso-trigonis, acutiusculis; caudae tereti-subcompressae zonis muticis, in basi ternis, deinde binis cum spinifera alternantibus; poris femoralibus 6 vel 7.

Ctenosaura cycluroides. M. Isis 1828. Gray. S. A. p. 37. An Ctenos. lanceolata eiusd. l. c.? Vide iconem iunioris tab. III. nostri operis.

Caput in occipite et vertice planum, clypeolis multangulis irregularibus convexiusculis tectum. Frons iunioris animalis leviter concava, adultorum plana, deinde convexitate levi curvatim descendens. Rostri, frontis et antici verticis clypeoli rotundato-polygoni, laeves, impresso-punctati, occipitales oblongo-polygoni, umbonati vel obtuse carinati; supercilia clypeolis parvis, rotundato-polygonis tecta, scutellorum subaequalium, a ceteris magnitudine distinctorum, serie a vertice medio, bifariam clypeato, inclusa. Scutella labii superioris 11, inferioris 11—12. Squamae ad maxillae inferioris latera oblongae, obtuse carinatae. Squamae gulae quadrangulae, carinatae, in colli lateribus et plica collari minimae, in pectore et abdomine quadrangulae, sublaeves vel obsolete carina-

tae, seriebus transversis dispositae. Dorsum et latera trunci squamis minoribus, rhombeis, obsolete carinatis tecta, carinarum apicibus prominulis, praecipue in iliaca regione, hispida. Crista dorsalis continua, humilis, iam ante femora desinens, intervallum inter cristae caudalis initium satis magnum (in adultis pollicare) relinquens, squamis 60—70 compressis, acutiusculis, trigonis, longioribus quam altis, apice retrorsum versis composita. Pori femorales utrinque 6 vel 7, squamis parvis 5—6, floris rosacei ad instar inclusi. Cauda basi teres ac tantillum depressa, subquadrilatera, dein ex tereti medium versus compressiuscula, a medio ad apicem usque rursus teres sensimque attenuata. Squamae scutiformes quadrangulae carinatae caudam verticillatim cingunt. Squamarum maiorum-spiniferarum zonae dimidiatae initio ternis, deinde binis squamarum minorum muticarum zonis alternant, ante caudae medium zonarum squamae magnitudine aequales omnesque aculeo breviori instructae apparent. Pars apicalis, verticillis paullatim magis obliquis, squamis imbricatis vestitur. Verticilli maiores spiniferi singuli singulum, mutici bini singulum aculeum maiorem in fastigio caudae gestant, unde crista continua spinarum componitur. Squamae caudae inferae ceteris multo angustiores, oblongo-lineares, carinato-mucronatae, sub caudae initio muticae. Cauda, in adultis saepius mutila regeneratur, nec tamen verticillos rursus producit, sed squamis lanceolato-oblongis, carinato-mucronatis imbricatim tegitur.

Color diversa aetate diversus, ab amoenissima picturae varietate iuvenili, provectiori aetate in cinereo-virescentem transit. Juvenile animal colore laetissimo viridi splendet. Dorsum intense viride ocellis flavescenti-viridibus (pomaceis), nebulose nigro inclusis, fasciatim variegatum, multisque punctis nigris adspersum. Caput, gula, pectus venterque dilute flavo-viridia. Gula striis longitudinalibus crebris, pectus venterque maculis viridibus transverse fasciatis variata. Capitis pileus olivaceus. Tempora vittulis fuscis tribus ornata. Membra punctis nigris, crebris conspersa. Cauda olivaceo-viridis, annulis 7—9 nigrifuscis cincta. In adulto animali ocelli pomacei dorsales cum fasciis nebulosis evanescunt, totique corpori, guttis punctisque crebris nigrofuscis solum adsperso, color dilute cinereus admiscetur.

Exemplar iuvenile hasce praebuit mensuras: Capitis longitudinem $1\frac{1}{4}''$, trunci $4''$, caudae $10\frac{1}{2}''$; adulti caput $2\frac{1}{2}''$, truncus $10''\ 4'''$, hinc caudam quae in adultis speciminibus nostris mutilata est, $2'\ 2''$ circiter habuisse apparet.

Gen. IV. IGUANA. Laur.

Caput brevius, tetragono-pyramidatum, clypeolis multangulis, planiusculis tectum, rostro obtuso, devexo.

Nares laterales, ad ipsum apicem rostri, rotundae, scutelli nasalis margine prominulo subtubulosae.

Dentes intermaxillares 7 obsolete trilobi, obtusi; maxillares spathulati, coronide compressa, subtriloba, multidentata.

Lingua crassa, obtuso apice emarginata.

Gulae cutis laxa, in palear pendulum plerisque denticulatum compressa.

Truncus squamis parvis subrhombeis, leviter carinatis, fasciatis vestitus, dorso cristigero.

Membra valida. *Digiti* elongati, subtus bifariam denticulati; quartus plantarum ceteris longior.

Pori glandulares sub femoribus numerosi.

Cauda elongata, compressa, cristata, squamis parvis, aequalibus, carinatis, muticis annulata.

Gulae palear denticulatum; crista altior; scutum maximum sub auribus; frons inermis: Subgen. *Hypsilophus.* Wagl.

I. (H.) RHINOLOPHUS. M.

V i r i d i s; m e s o r h i n i o a c u l e i s o b t u s e c o n i c i s 3 c r i s t a t o; a c u l e i s c r i s t a e d o r s a l i s 42—52.

Hanc speciem olim pro Ig. tuberculatae varietate sumpsi. (Isis. 1828. p. 364.) Postea vero, ubi specimina, quae e Nova Hispania allata comparare potui, omnia nasalem cristam possidere vidi, hanc pro charactere specifico sumere non haesitavi. Interdum enim in genere naturali singulae species tantam pholidoseos ac reliqui habitus similitudinem prae se ferunt, ut non nisi levioribus differentiis, sed constanter distinguantur. Hic igitur omnem differentiam in ornamento nasali positam puto. In Iguana tuberculata mesorhinium clypeolis vel planis vel leviter convexis vestitur, in Ig. rhinolopho tuberculis subconicis, quorum series intermedia in aculeos tres quatuorve obtuse conicos, provectiori aetate longiores (semipollicares) assurgit. Ceteroquin Ig. tuberculatae vulgatissimae prorsus simillima est [52]), ut descriptione supersidere posse censeam. Hoc tamen addere

---

N o t a 52. Etiam Ig. tuberculatae varietas eminentia rostrali subcornuta existit, ab Ig. cornuta Cuv. et nostra specie diversa. Huius varietatis, cuius exemplum in museo nostro servatur, meminit Henr. Boie. Isis. 1825. p. 1090.

volo, aculeorum cristae dorsalis numerum in I. rhinolopho minorem observari; in Ig. tuberculata 56—60 ad caudae initium usque adesse solent, in I. rhinolopho 41—52. Speciminum nostrorum maximum hasce ostendit mensuras: capitis long. 2″, trunci $10\frac{1}{2}$″, caudae 2′ 6″. Quam vero longitudinem provectiori aetate longe excedit.

Gen. V. AMBLYRHYNCHUS. Bell.

Cf. Zoological Journal. Vol. II. p. 206.

Caput breve, antice truncatum, superne tuberculis subpyramidatis asperrimum.

Nares iuxta rostri truncati apicem, laterales, subovales, margine scutelli nasalis prominulo subtubulosae.

Membrana tympani superficialis, aperta.

Dentes maxillares compressi, coronide profunde trifida; palatini . . . . . ?

Gula paleari pendulo prorsus (?) destituta.

Crista dorsalis continua, a cervice ad apicem caudae excurrens. Pori femorales.

Cauda compressa, squamis rectangulis, carinatis, inermibus, inferne minoribus annulata.

Species huius generis typica, Bellio teste, in Nova Hispania degit, unde a Bullockio Londinum missa est. Cl. Gray (S. A. p. 37) eam Gallapagos insulas inhabitare auctor est; atque alteram speciem instituit, nimis breviter his verbis definitam. „*A. ater.* nearly black; beneath dusky. Gallapagos." Hinc nostrae speciei diagnosin dare nequeo.

A. cristatus. Bell. l. c. [53])

Caput brevissimum longitudine altitudinem parum superante. Latus eius superum (pileus) tuberculis prominulis horret. Scutella frontis verticisque maxima, polygona, umbonata vel umbone altius prominulo subpyramidalia, symmetrico ordine disposita apparent. Frontalia 9 discum suborbicularem constituunt. Scutellum intermedium enim, depressum vixque umbonatum, a ceteris circulo ita includitur, ut terna ab utroque latere, singulum antice atque a tergo iaceant. Disco frontali postice atque a latere septem tubercula adiacent, lateralia utrinque tria, et posticum solitarium. Tubercula occipitalia minora, sed magis conferta, aculeos breves aemulantur, in nuchae initio tenuiores, acutiores, ac fere in lineas transversas dispositos. Scutum infra tympani membranam nullum, neque tubercula colli lateralia adsunt, sed squamae cervicales in aculeos totidem conicos assurgunt, eamque regionem a nucha ad scapulas usque tactu asperrimam reddunt. Etiam dorsi fastigium assurgentibus squamarum carinis exasperatur. Cristam cervicalem, dorsali altiorem, aculei viginti longi, conici validique constituunt, quorum qui anteriores et in ipsa nucha et qui interscapulio proximi sunt, ab intermediis et longitudine et crassitie longe superantur. Crista dorsalis parum humilior denticulis octoginta conicis, compressis, acutis, conficitur. Dorsum squamis parvis rhombeis alte carinatis hispidum; abdominis squamae laeviusculae (?). Poros femorales cum Bellio circiter viginti quatuor utrinque numerabam. Cauda in nostro specimine iam ab initio subcompressa, apicem versus anceps. Crista in caudae basi humilior, prope medium altior evadit, e denticulis compressis, sphaerice trigonis, subrecurvis confecta. Color exsiccatae cutis ochraceo-cinereus, fusco maculatus.

Gen. VI. LAEMANCTUS. M.

Caput mediocre, tetragono-pyramidatum, clypeolis irregulari-multangulis, convexiusculis vel subplanis tectum, antice depressum, rostro obtuso.

Nares laterales, ovali-subrotundae, ab apice rostri parum remotae, cantho rostrali subiacentes, in scutelli nasalis medio.

Dentes primores conici 8, maxillares obtusi, anteriores simplices, posteriores obsolete trilobi, maxillae 19, mandibulae 20; in palato nulli.

Lingua crassa, apice obtuso emarginata.

Gulae cutis adstricta, palearis vestigio destituta. *Jugulum* constrictum, plicatura transversa ad scapulas adscendente a pectore separatum.

Truncus gracilis, compressus, carina dorsali integerrima, nec cristata, nec denticulata; squamis dorsi medii maioribus; abdominalibus magnis, alte carinatis.

Artus macilenti; digiti elongati, graciles; quartus plantarum ceteros longitudine multum superat.

Pori glandulares femorum nulli. *Cauda* teres, longissima.

Nota 53. Illustrissimus Cuvier hocce animal falso ad Iguanam nudicollem, quam ex Guadelupe insula et e Brasilia se accepisse testatur, retulit; omnemque diversitatem in eo ponit, quod Bellii specimen effarctum atque exsiccatum habitum speciei naturalem totum amiserit. Cl. Waglerus (Syst. Amph. p. 148.) temere in eandem discessit sententiam. At iam dudum alterum huius animalis specimen, incertae patriae, in museo Regio nostro servatur, quod cum acuratissima Bellii descriptione apprime convenit, ab Iguana nudicolli, quam non nisi e Guerini icone novi, toto abhorret coelo. Palearis nullum quidem vestigium ostendit, quum vero cutis in hac ipsa regione ab artifice consuta sit, parvum in integro animali palear existere haud negaverim.

Species huius generis quatuor in Museo nostro servantur [54]):

A. Occipite elato, postice rotundato, antrorsum sensim descendente, area pilei ovata, obliqua; squamis laterum transverse fasciatis; digitis subtus serie tuberculorum instructis:

1. L. *longipes.* M. Violaceo-rufus, fusco taeniatus, abdomine aurantio. Mexico [55]).

B. Occipite horizontali, applanato vel retrorsum devexo; squamis laterum parvis, convexis, absque ordine positis, dorsalibus intermediis maioribus, polygonis, carinatis; digitis subtus simpliciter scutellatis:

2. L. *Fitzingeri.* M. Supra rufo-fuscus, maculis in dorsi fastigio geminatis nigris; abdomine rufo; capite mediocri; rostro obtusiusculo, cum fronte aream obtuse triangularem exhibente. — Brasilia.
3. L. *undulatus* M. Supra olivaceo-cinereus, vittis duabus lateralibus nigrifuscis, undulatis, subtus albido marginatis; abdomine lacteo; capite mediocri; rostro obtuso, cum fronte aream obtuse triangularem exhibente. — Brasilia.
4. L. *obtusirostris.* M. Supra fuscescenti-cinereus, fusco maculatus; abdomine flavicanti-cinereo; rostro obtusissimo, subtruncato, cum fronte lata aream subtrapezoideam exhibente. — Brasilia.

L. LONGIPES. M.

Violaceo-rufus, fusco taeniatus; abdomine aurantio, occipite elato; area pilei obliqua, oblongo-ovata; squamis dorsi magnis, rhombeis, laterum transverse fasciatis.

Vide iconem in Tab. IV. operis nostri.

Caput ab occipite alto, rotundato, recta planitie antrorsum descendens; pilei area oblongo-ovata, obliqua, clypeata; clypeis in vertice et occipite minoribus, in fronte rostroque maioribus, omnibus multangulis, irregularibus, granuloso-rugosis. Lora ob prominentem frontis canthum perquam concava, clypeolis maiusculis, multangulis vestita. Labium superius scutellis quadrangulis 14 marginatum. Labii inferioris scutella 12, anticum parvum sphaerice trigonum, cetera quadrangula. Nares a rostri apice parum remotae, scutellum obliquum, rhombeum perforantes, retrorsum patulae; scutellum rostrale quinquangulum; mentum scutellorum hexagonorum serie utrinque marginatum. Squamae menti medii gulaeque subovales, striis binis ternisve subcarinatae, colli inferioris obtuse subrhombeae, carinatae, versus plicam iugularem maximae, subovales, multicarinatae. Plica transversa in collo infimo squamis minoribus vestita, sulphurei coloris. Squamae cervicales parvae, laeviusculae vel striis eminentibus binis ternisve subcarinatae; dorsales rhombeae, carinatae, in fastigio maiores, late rhombeae, inaequales, imbricatae, uni-vel bicarinatae; in lateribus trunci per series transversas digestae, minores, e rhombeo-ovales; abdominales oblongo-rhombeae, imbricatae, alte carinatae. Squamae membrorum magnae, rhombeae, carinatae, imbricatae, in genubus et olecranis minores, in antibrachiis maximae, rhombeae, carinis binis ternisve eminentibus instructae, hinc apice saepius denticulatae. Digiti propedum graciles, tertius quartusque aequales, ceteris longiores, omnes subtus tuberculorum fuscorum serie asperati. Digiti pedum valde elongati, omnes subtus tuberculati, quarto longissimo, tertio penultimae digiti quarti phalangis basin attingente. Volae plantaeque nodulis flavis, e squamarum apice protuberantibus, scabrae. Cauda longissima, teres, squamarum carinis, in lineas longitudinales congruentibus, subangulata; squamis rhombeis imbricatis, ad basin caudae latioribus, apicem versus ovato-rhombeis, mucronatis. Color corporis varius. Caput in pileo rufo-cinereum, in fronte versus rostrum flavo-virescens. Lorum gulaque flavicant. Macula ante tympanum subtrapezoidea, intense rufo-fusca. Nucha dilute flavescenti-rufa, vitta lata in lateribus colli ad humeros perducta, intense fusca, stria longitudinali laete flava sub oculis incipiente, ac supra oris angulum, in colli latere, ad humerum excurrente, marginata. Truncus pulcherrime violaceo-rufus, taeniis quinque latis fuscis, nigro marginatis, medio obscurioribus, versus latera pallescentibus. Harum secunda in dorsi fastigio macula flavo-viridi intercipitur, quarta et quinta prope fastigium virent. Brachia et antibrachia extus violaceo-rufa, maculis laetissime flavis conspersa, intus pallide aurantio-rufa; femora et crura intense violaceo-rufa, maculis vitellinis passim conspersa; in genubus et in suffragine e flavo virescentia. Abdomen aurantio-rufum, stria longitudinali, laete flava, in medio latere incipiente et ad basin femorum ducta,

---

Nota 54. Quintam speciem, quae Polychrus acutirostris a Spixio vocatur, nondum vidi. Praeterea aliae in Museo Vindobonensi exstant, quas Cel. Fitzinger olim cum Polychro acutirostri et Hypsibato Plica *Ecphymotis* genere coniunxit. Quod quum diversa contineat, ac palatinorum dentium possessu falso insigniatur, nomen significatione expers, una cum charactere generis immutavi. Novum igitur imposui, nomen a λαιμός (*iugulum*) et ἄγχω (*constringo*) (*cui iugulum constrictum est*) formatum.

Nota 55. Caput nostri speciminis ictu graviter percussum est, ut fractis maxillis os aperire nequeam. Hinc dentes examinare non potui. Fortasse igitur in posterum quae diagnosi ac praefixis litteris distinxi, diversa genera exhibebunt.

a lateribus distinctum. Cauda initio cum corpore concolor, olivaceo-fusco annulata, dein, annulis versus medium magis obsoletis, dilute rufescenti-cinerea. Longitudo corporis a rostri apice ad anum $5\frac{1}{2}''$, caudae $20''$, capitis $1\frac{5}{8}''$. Habitat prope Jalapam.

Gen. VII. DACTYLOA. Wagl.

Anolis Dum. Cuv.

Caput ovato-pyramidatum, quadrilaterum, clypeolis multangulis tectum; rostro obtuso, interdum porcato; fronte concava. Supercilia scutellorum serie semicirculari a fronte verticeque inclusa. Scutellum fontanellam obtegens oblongum in extremo vertice.

Nares supra canthum rostralem sitae, extrorsum patulae, mesorhinio plus minusve incrassato.

Dentes primores et maxillarum anteriores multi conici, ceteri compressi, trilobi; palatini nulli, (omnibus? vide pag. 13.)

Lingua crassa, apice obtuso emarginata.

Gula paleari, saepius maximo, ad pectus descendente instructa.

Dorsum carinato-denticulatum vel integerrimum.

Artus graciles. Digiti elongati, omnes, excepto pollice, sub penultima phalange pulvillo oblongo-obovato, transverse lamelloso instructi.

Cauda elongata, teres vel plus minusve compressa, (Subg. *Dactyloa.* s. str.) aliis pinnata. (Subg. *Xiphosurus.* Fitz.) Pori femorales nulli.

A. Pilei clypeolis polygonis laevibus.

1. D. NEBULOSA. M.

Rostro non porcato; scutellis superciliorum 3 subovalibus; squamis laterum minimis, rotundatis, dorsi medii maioribus, carinatis, ovalibus, abdominalibus distincte carinatis.

Anolis nebulosus. M. in Mus. Berol. et in literis.

Caput clypeolis multangulis, laevibus, in rostro parvis squamiformibus, in fronte verticeque maioribus vestitum. Frons parum concava; cavitate subtriangulari. Scutellorum supercilia includentium series semicirculares in vertice plano contiguae. Supercilia squamosa, scutellis intermediis tribus oblongis, transversis, contiguis. Lori squamae oblongae, carinato-convexae. Scutella suborbitalia 5—6; labialia utrinque $\frac{8}{8}$. Squamae dorsi ovales, carinatae. Latera squamis minimis rotundatis alutacea. Abdomen squamis oblongo-rhombeis, distincte carinatis vestitur. Brachia et antibrachia extus squamis maioribus rhombeis, carinatis, intus parvis, rotundatis, laevibus, postice squamis alutaceis vestita. Crura maxima ex parte squamis rhombeis, carinatis obteguntur. Cauda teres, gracilis, squamis subrhombeis, carinatis, apicem versus angustioribus imbricatim tecta. Color flavescenti-griseus, fascia in sincipite supraorbitali dilute fusca; dorsum fasciis obsoletis, figuras subrhombeas medio includentibus nebulosum.

Mensuras hasce observavi:

Longitud. capitis $\frac{5}{8}''$, trunci $1''$ $1'''$; caudae $2\frac{1}{4}''$ Duo specimina, quorum alterum $2''$ $3'''$ alterum $2''$ $9'''$ totius corporis (i. e. capitis truncique) longitudinem ostendebat, caudam apice mutilatam habebant.

2. D. (A.) LAEVIVENTRIS. M.

Porca solitaria, obsoleta in medio rostri; squamis laterum subovalibus, minimis, dorsi medii maioribus, obtuse rhombeis, carinatis, abdominalibus sublaevibus.

Mesorhinium porca obsoleta incrassatum; frons profunde excavata, cavitate frontali ad medium verticem usque extensa; scutellorum supercilia includentium series in vertice subcontiguae, squamulis paucis diremtae; scutella superciliorum intermedia rotundato-polygona 4—5; lora squamulosa, squamis ovalibus laevibus; occiput et tempora squamis minimis alutacea. Trunci latera squamis parvis, subrotundis, sublaevibus, dorsi fastigium squamis maioribus, carinatis subrhombeis. Pholidosis membrorum caudaeque subcompressae, quae praecedenti. — Color supra flavescenti-griseus, abdomine flavicante. Longitudo corporis a rostri apice ad anum $1\frac{1}{2}''$. caudae $2''$ $8'''$.

3. D. BIPORCATA. M.

Rostri porcis duabus, antice subparallelis; squamis dorsi medii laterumque subaequalibus, parvis, carinatis, rotundato-polygonis.

Anolis biporcatus M. in Mus. Berol.

Caput longiusculum; fronte admodum excavata, cavitate oblongo-rhombea in verticem usque porrecta; vertex quam in ceteris latior; scutellorum supercilia includentium semicirculi clypeolis

parvis in medio vertice diremti. Supercilia medio clypeolis polygonis crebris carinatis tecta. Occiput et tempora squamis rotundatis, parvis, laevibus obsita. Squamae dorsi subaequales parvae, rotundato- vel subovali-polygonae, carinatae; abdominales obtuse rhombeae, carinatae. Cauda elongata, parum compressa, squamis polygonis carinatis tecta. Color virescenti-griseus, fusco maculatus.

Longitudo capitis $\frac{7}{8}''$, trunci $2\frac{3}{8}''$; caudae $7\frac{3}{8}''$.

B. Pilei scutellis squamiformibus, ovali-hexagonis, carinatis.

4. D. SCHIEDII. M.

Porcis rostri duabus convergentibus, obsoletis; squamis medii dorsi laterumque subaequalibus, parvis, rotundatis, carinatis. [56])

Caput brevius, ovato-pyramidatum. Porcae duae obsoletae a fronte admodum concava versus mesorhinium incrassatum convergentes. Frontis fovea subrhombea. Vertex canaliculato-concavus. Pilei ac superciliorum clypei ovali-hexagonae, carinatae; superciliares crebri triplicem seriem formantes; in rostro parvi, squamiformes. Lori squamae oblongae, occipitis temporumque parvae rotundatae. Cauda tereti-subcompressa, trunco fere triplo longior, sensim attenuata, squamis rhombeis carinatis imbricatim tecta. — Color e griseo-fuscescens, taenia transversa nigricante in summo vertice, supra orbitas utrinque ad oris angulum descendente, taeniis in dorso latissimis antice posticeque obtuso angulo excisis, medio intense nigricantibus, areolas rhombeas, dilute griseo-fuscescentes includentibus; cauda fusco annulata; membra taeniis fuscis, albido marginatis variegata.

Longitudo capitis fere $\frac{5}{8}''$, trunci $1\frac{1}{3}''$, caudae $3\frac{5}{6}''$.

FAM. II. HUMIVAGAE.

Tribus II. Prosphyodontes.

Gen. 1. SCELOPORUS. M.

Cf. Commentationem meam: *Beiträge zur Amphibienkunde.* Isis. 1828. p. 369. *Tropidolepis.* Cuv. R. A. II. p. 38. edit. II. 1829. Gray S. A. p. 42. (Griffith Anim. Kingd. Vol. IX.)

Caput depresso-tetraëdrum, scutellatum, fronte declivi; rostro lato, brevi, obtuso; cantho frontali ad rostrum usque continuato; occipitis (extremi verticis) clypeo maximo, solitario, rotundato vel polygono.

Supercilia convexa, plerisque scutellata. *Oculorum* palpebrae squamulosae.

Nares rotundae, supra canthum rostralem sitae in medio scutello, squamulis tribus quatuorve inclusae.

Labia scutellorum oblongorum, squamiformium serie duplici marginata.

Dentes primores 6, simplices, conici, maxillares $\frac{22-24}{25}$, anteriores conici, simplices, posteriores obtusi, subtrilobi. Dentes palatini desunt.

Lingua villoso-papillosa, apice obtuso vix emarginata.

Aures squamis tribus quatuorve acutis, ultra anticum meatus auditorii marginem prominulis, suboccultae, membrana tympani parum depressa.

Gulae cutis adstricta. Plica iuguli axillarumque nulla; plica in utroque colli latere longitudinalis, obliqua, foveam oblongam, intus minutissime squamulosam (Acaridarum habitaculum) sistens.

Truncus depressus, squamis magnis, dorsalibus rhombeis, carinatis, mucronatis, margine saepius denticulatis, abdominalibus laevibus.

Cauda elongata, teres, basi depressa, squamis mucronato-carinatis, imbricatis subverticillata.

Membra valida, extus squamis carinatis, intus laevibus vestita. Pori glandulares sub femoribus numerosi, maximi. Plantae squamis tricuspidato-carinatis, digiti teretes squamulis tricarinato-muricatis exasperata. Propedum digiti medii subaequales, pedum quartus longissimus.

Hoc genus calidiores Americae septentrionalis regiones, imprimis Novam Hispaniam inhabitare, et a meridionali, quantum scimus, prorsus exclusum esse, ibique Tropiduri varias formas Scelopororum vices suscipere, iam plures ante annos monui. (Isis. 1829. p. 423.) [57]). Species pro sexus aetatisque diversitate variant. Mares subtus

---

Nota 56. Ad hanc speciem, vel ad D. *nebulosam* et *laeviventrem* lacertam *Taletec* referendam esse puto, quam Hernandez tract. III. c. 53. p. 69. hisce verbis memorat: „Parvulae sunt vivuntque in platanis aut aedibus, meliores in platanis: Hispanicis sunt forma similes, fuscae et nigris oculis: asthmati opitulantur etc." Quae in aedibus degunt, huc non pertinent, sed ex Ascalabotarum familia sunt. Vocem *Taletec* Doctissimus Buschmann corruptam censet, et *tlalitic* (i. e. in terra) scribendum esse. Quod optime quadrare puto, si de terreno colore accipi possit.

Nota 57. Praeter species Mexicanas, a me ipso in hoc opere descriptas, a scriptoribus 4 commemorantur, omnes meliori descriptione egentes, mihique nondum visae; scilicet: 1. Sc. *undulatus.* m. (Agama undulata. Daud., Uromastix und.

pulcherrimo coeruleo colore splendent. Praeterea eos a feminis facile squamis duabus concavis, in caudae basi, sub ano sitis, distingues, quas gemini penis exsertionem facilitare in promptu est. — Ex anatome Scelopori torquati haec notatu digna videbantur:

Caput eadem fere structura, ut in Tropiduro, at brevius, magisque depressum, rostro breviori, latiori, osse frontali anteriori utroque in aream subquadratam depresso, marginem angulumque acutiorem orbitae exhibenti; osse temporali latiori, subtriangulari; ossibus palatinis ac pterygoideis latissimis, foliaceis. Vertebrae cervicales 6, posticae tres costarum parvis rudimentis instructae. Vertebrae dorsales 17, quarum anteriores duae costas pectorales spurias, sequentes sex costas veras, ceterae omnes costas abdominales spurias gestant. Discus sterni rhombeus, infra fenestra ovali-subcordata pertusus. Os sterni impar intermedium malleiforme, ramis lateralibus longissimis, claviculas, quibus subiacent, longitudine subaequantibus. Scapula et os coracoideum formam eandem habent, uti in Iguana; at pars cartilaginea scapulae marginem posticum integerrimum ostendit. Vertebrae caudales 26, anteriores 7 corpore breviori, simplici, processibus transversis longissimis, spinoso mediocri instructae, ceterae ad apicem usque corpore longiori in duas portiones diviso insignes, quarum anterior processus obliquos anteriores et transversos cum processus spinosi parte minori, posterior processus spinosi partem maximam, tenuem, subtriangularem, processus obliquos posteriores et inferiorem gestat. Processus omnes longitudine sensim decrescunt, praeter spinosum inferiorem, qui ad extremam vertebram usque omnibus adhaeret. Vertebrae extremae magna gracilitate insignes, itidem e duabus partibus constant, sed in unam conflatis. — Os hyoides Iguanarum. Epiglottidis parvum vestigium. Pulmo dexter oblongus, intus simplex, altius descendens, sinister brevior, amplior, ovatus, interno latere dissepimentis tenuibus in loculos plures divisus. Tractus intestinorum trunco duplo longior. Oesophagus modice amplus, plicis longitudinalibus confertis, in ventriculum paullatim abiens. Ventriculus intestino parum amplior, infra admodum coarctatus, levi curvatura in intestinum tenue transiens, initio et in curvatura intus longitudinaliter plicatus, ab intestino plica circulari seiunctus. Intestinum tenue intus plicis longitudinalibus undulatis instructum, sub plica pylorica diverticulo coeco auctum; infra, ubi intestino crasso excipitur, valde coarctatum, ceterum modicae amplitudinis. Coecum in intestino crasso obovato-oblongo desideratur. Hepar bilobum, lobo sinistro latiori, breviori, dextro angustiori, altius descendente; cystide mediocri, immersa. Lien oblongus cum pancreate in laevo ventriculi latere. Vesicam urinariam non inveni.

A. Clypeis pilei laevibus.

1. Sc. TORQUATUS M.

Aeneo-olivaceus, torque scapulari integro atro, albido vel pallide aurantio marginato; squamis dorsi obtuse rhombeis, multidentatis, spina apicali brevi, recta mucronatis.

Icon. Tab. VII. f. 1. — *Agama torquata.* Green et Peale. Journ. of the Acad. of Philad. VI. 231.

Species pulcherrima, nonnullis colorum ac pholidoseos varietatibus subiecta, quas nisi intermediae formae intercederent, pro diversis speciebus facile acciperes. Scutella internasalia plerumque quatuor perparva adsunt; frontem subplanam vel parum convexam 7, rarius (interiecto impari postico) 8 scutella polygona occupant, ita disposita $\begin{matrix} & 2 \\ & 3. \\ 2 \text{ v.} & 3 \end{matrix}$ Metopium vix excavatum, scutello verticali anteriori obsolete canaliculato. Scutella verticalia duo inter orbitas iacent. Squamae dorsi latae, rhombeae, mucrone carinae brevi, recto, longitudine vix quartam totius squamae partem adaequanti, denticulisque multis (8—10) prope apicem instructae. Squamae gulae ovato-rhombeae, apice excisae; iugulares latissimae, rhombeo-subtrigonae, apice denticulis 3—5 exciso. Squamae abdominales rhombeae, laeves, laterales denticulis ternis multisve instructae, intermediae obsolete bidentatae, vel apice obtuso subintegrae. Pori femorales 12—18 utrinque. Longitudo in specimine maximo mensa, corporis (capitis cum trunco) $4\frac{1}{4}''$, caudae $5\frac{3}{8}''$. Dorsum olivaceo-aeneum, unicolor, torque scapulari aterrimo, fascia fulvo-aurantia utrinque marginato. Maris adulti gula totusque venter colore intense coeruleo splendent. Iuniores gulam et ventris latera tantum coerulea habent, ac vitta lactea longitudinali diremta. Foeminis iunioribus venter totus colore margaritaceo-albido tinctus. In maximis exemplis squamas dorsi apice magis rotundatas, carinis obsoletis, brevique, imo vix ullo mucrone instructas observo.

Var. *α.* Olivaceo-aenea, subunicolor; torquis fascia marginali albida vel albido-flavescenti. Mas adultus in toto gastraeo intenso pulcherrimoque coeruleo colore ornatus, quo iuniorum latera tantum obducuntur. His etiam dorsum maculis pallide flavicantibus crebris variatur, quarum in adultis paucae interdum prope caudae radicem remanent. Feminam adultam huius varietatis nondum vidi; iuniores mentum atque gulam albida, striis obliquis cinereis obsolete variegata, abdomen albidum, vix pallide coerulescens exhibent. Huc referenda: *Tecoixin* s. *saxorum lacerta.* Hernand. c. 36. p. 65. *Agama torquata.* Peale et Green l. c. Haec varietas ad praecedentem formam eodem modo se habere videtur, quo Colubri Natricis varietates torque flavo albove ornatae, quarum alteram loca calidiora, alteram gelidiora inhabitare, Cel. Pallas auctor est. Utramque coeli temperiem quum Mexicana terra pro altitudine loci abunde praebeat, fortasse idem in nostra specie observabitur.

Merr., Tropidolepis und. Cuv. Gray. Lacerta fasciata et hyacinthina Green.) Americae septentrionalis incola. 2. Sc. (Trop.) *aculeatus.* Gray. Syn. p. 43. Martinicam inhabitans. 3. Sc. (Trop.) *Bellii* et 4. Sc. (Trop.) fasciatus. Gray. l. c., incertae patriae.

Var. β. Superne olivacea, maculis magnis fuscis variegata, torque aterrimo, fasciis albidis incluso. Maculae dorsi medii subbifariam dispositae, laterum absque ordine confertae. Cauda cinereo-fusco annulata. Squamae acutius rhombeae, cuspidatae, mucrone apicis longiori. Scutella disci frontalis 8, eodem modo disposita, ut in Sc. torquato normali. Varietas haec aperte ad Sc. *spinosum* ducit, quamvis specificis notis distincta. Quid, si ex Scelop. torquati feminae et Sc. spinoso masculi adulterio originem traxerit? Vidi unum exemplar femineum longitudine corporis (capitis et trunci) $3\frac{5}{8}''$, capitis seorsim $10'''$, caudae $4\frac{3}{8}''$.

Sp. 2. SC. FORMOSUS. M. spec. nov.

Flavo-viridis, herbaceus, aeneo pulcherrime nitens; torque scapulari nigro interrupto (♂), haud marginato, interdum (♀) subnullo; squamis dorsi cuspidato-rhombeis, paucidentatis, spina apicali longa, acutissima, sursum adscendenti mucronatis.

Tab. VII. fig. 2. Mas a ventre visus.

Hanc speciem tiro pro Scelop. torquato iuveni sumpsi, serius feminas eiusdem speciei vidi et errorem intellexi. (Nomen iconis, iam ante hos duos annos factae, benevole corrigas.) Praecedenti minor atque gracilior est. Metopium fovea profunda, triangulari excavatum, scutello verticis primo alte canaliculato. Frons iugo intermedio, obtusissimo assurgit, hinc a latere visa convexior apparet ac rostrum versus curvatura conspicua descendens. Scutellorum capitis dispositio eadem, quae praecedenti. Squamae dorsi acuminato-rhombeae, paucidentatae, carina eminentiori, mucrone valido, tertiam totius squamae partem subaequanti sursumque adscendenti praeditae. Pori femorales utrinque 12—16. Color masculorum pulchre flavo-viridis, psittacinus. Torques scapularis ater, in interscapulio medio interruptus, nec fascia gemina inclusus, iugulum ambit gulamque a pectore dirimit. Mentum maris vitellino ornatur colore splendidissimo, gula pulcherrime coeruleo. Pectus anticum mediumque ventrem color albido-margaritaceus occupat, a ventris lateribus limite lato atro inclusus. Feminae ac iunioris color magis in herbaceo-viridem, flavoque expertem vergit. Femina fascia iugulari atra caret, torque breviori ad humerum ipsum incipiente. Mentum, pectus, venterque cum nitore aeneo e flavo virent. Feminae iuniores dorsum pallide cinereo-viride maculis fuscis conspersum habent, caudam fusco maculatam. Pilei color utrique sexui olivaceus. In mare adulto corporis longitudinem $3''\ 1'''$, caudae $4\frac{3}{4}''$; in femina corporis longitudinem $2\frac{3}{4}''$, caudae $3''\ 7'''$ inveni.

3. Sc. SPINOSUS. M. (Isis. 1828. l. c.).

Supra olivaceo-griseus, macularum fuscarum quadruplici serie; squamis dorsi cuspidato-rhombeis, paucidentatis, aculeo valido mucronatis; scutellis disci frontalis 8—9.

Vide iconem operis nostri tab. VII. f. 3. (mar.)

Torquato paullo minor, trunco compactili, circiter tripollicari, differt quum colorum pictura, tum collo (masculorum imprimis) squamis longispinis, squarrosissimis horrenti, torquis collaris defectu, pororum femoralium minori numero. Scutella internasalia quatuor, in disco frontali 8—9 adsunt, sic disposita: $\begin{matrix} & 3 \\ & 3 \\ 2\text{ v. } & 3 \end{matrix}$ (parvis tribus antico scutelli intermedii margini adiacentibus et minimo interdum posticis duobus interiecto) Metopium planum. Scutella verticalia duo inter orbitas iacent. Scutella superciliaria quatuor, squamis undique inclusa. Squamae dorsi acuminato-rhombeae, subsquarrosae, spina apicali longa, acutissima, tertiam totius squamae longitudinem aequanti, dentibus plerumque binis, quaternisve, rarius senis prope apicem instructae. Squamae gulares ovato-triangulares, anteriores apice excisae, posteriores tridentatae. Abdominis squamae rhombeo-subovatae, obtuso apice excisae vel tridentatae. Colli latera squarrosis squamarum apicibus horrent, quarum quae plicae collaris marginem obtinent, prae ceteris magnitudine ac cuspidis apicalis longitudine excellunt. Pori femorales 8—10 utrinque numerantur. Color maris in partibus superis e cinereo et olivaceo-viridi mixtus, in cauda ex olivaceo fuscescens; feminae flavo-cinereus in olivaceo-fuscum vergens. Maculae utrique sexui magnae, intense fuscae, dorsum quadruplici serie occupant, in femina vividiores. Series binae intermediae in caudae basin descendunt; reliqua cauda semiannulis fuscis cingitur. Membra lineis fuscis variantur. Gastraeum totum in utroque sexu albidum, mentum utrique lineis coeruleis, in masculo indigoceis, in femina obsoletis ornatum. Gula ac latera masculorum intense coerulea.

Longitudo corporis in specimine masculo (capitis et trunci) $3\frac{1}{4}''$, capitis $10'''$, caudae $3\frac{3}{4}''$ in femina longitudo capitis $\frac{3}{4}''$, capitis et trunci $3''\ 2'''$, caudae $3\frac{3}{8}''$ aequabat.

4. Sc. HORRIDUS. M. n. sp.

Supra olivaceus, vitta flavida obsoleta, subtus cinereo marginata in utroque latere; infra flavicans; squamis maximis cuspidato-rhombeis, squarroso-aculeatis; scutellis disci frontalis 7.

Praecedenti specie maior, corporis torositate, collo dorsoque apicalibus squamarum squarrosarum aculeis horrenti primo aspectu discrepans. Scutella in disco frontali 7 numerantur, quorum bina rostrum versus intermedio oblique subiacent. Metopium planum. Scutellum solitarium brevissimum, latum, inter orbitas iacet. Supercilia media scutellis ternis transversis obteguntur. Squamae dorsi maximae cuspidato-rhombeae, aculeo valido apicali ac denticulis paucis prope apicem instructae. Pori glandulares femorum pauci, 4—5 utrinque. Specimen unicum possidemus, corpore fere tripollicari, cauda mutila. Mentum venterque ex albido flavicant, latera ventris aeneo virent. Mentum lineis obliquis nigri-fuscis ornatur.

5. Sc. GRAMMICUS. M.

Supra olivaceo-aeneus, fasciis dorsalibus angulatis nigrifuscis; squamis dorsi magnis, rhombeis, spinosis, margine denticulatis.

Sc. *grammicus.* M. Isis l. c. (exclusa varietate microlepidota) et Sc. *pleurostictus.* M. ibid. (Mas.)

Clypei capitis granulosi, eodem modo dispositi, ut in Sc. torquato; sed in clypeorum frontalium serie postica duo plerumque adsunt, deficienti intermedio minimo. Supercilia intus versus verticem scutellis oblongo-hexagonis, extus clypeolis squamiformibus, rotundato-hexagonis tecta. Squamae dorsi acuminato-rhombeae, carinarum apicibus prominulis spinosae, ab interscapulio (inde a plicae parauchenii fine) ad caudae basin usque fascias circiter 36—40 obliquas constituentes. Pori femorales 14—16 utrinque. Corporis color supra olivaceo-aeneus, fasciis nigri-fuscis obliquis, utrinque quinis, angulo acuto, retrorsum spectanti, in dorsi fastigio congruentibus, subtus albido-griseus, aeneo-nitens. Cauda plerumque fusco annulata. Mas (quem Sc. pleurostictum falso antea vocavi) trunci latera maculis crebris nigri-fuscis flavidisque variegata habet, ventrem medium vittis duabus nigris, coeruleo extus marginatis ornatum. Nonnullis etiam gula, tunc torque nigro a pectore diremta, coerulescit. Longitudo corporis 2″ 5‴, caudae 3″ 1‴ (maris), long. corp. 2″ 2‴, caudae 2″ $4\frac{1}{2}$‴, long. corp. 2″ 7‴, cauda mutil. (feminae).

6. Sc. MICROLEPIDOTUS. M.

Supra cinereo-viridis, fasciis maculisve obsoletis nigrifuscis; squamis parvis, brevissime mucronatis, margine subintegerrimis.

Sc. *grammicus* var. microlepidota. M. Isis. l. c.

Magnitudine habituque praecedentis, cui simillimus; differt squamarum dorsalium parvitate, quae inde a plica colli fascias circiter septuaginta obliquas componunt, praeterea, carinis vix ultra apicem prominulis, breviter mucronatae ac margine integerrimae sunt. Dorsi color feminis plerumque herbaceo-cinereus, masculis magis in olivaceum vergens, pictura simili, ut in praecedente, at obsoleta. Maris latera interdum maculis nigris flavidisque variegata; venter iuxta vittas medianas nigras coerulescens.

B. Clypeis pilei ruguloso-carinatis.

7. Sc. VARIABILIS. M. n. sp.

Supra cinereo-olivaceus, nunc (♂) unicolor, vitta laterali albida, nunc (♀) maculis fuscis, transversis, biseriatis in medio dorso; capite unicolore; superciliis transverse scutatis, extus squamulosis; squamis dorsalibus intermediis acuminato-rhombeis, laterales duplo superantibus.

Scutella capitis carinato-rugulosa situ numeroque variant, Frontis discum 8—9 subpolygona occupant. *Verticale primum duplex*, hinc in vertice anteriori 3 adsunt. Supercilia extus squamulosa, intus scutis transversis, oblongo-polygonis obteguntur, quorum intermedia tria maxima. Squamae dorsi medii acuminato-rhombeae, longe mucronatae, interdum denticulis prope apicem paucis instructae, quarum carinae lineas longitudinales 14, continuas, in dorso formant; laterales, subito duplo minores, rhombeo-ovatae, subtricuspides, carinis continuis lineas oblique sursum adscendentes constituunt. Carinarum dorsalium lineae 7—8 in caudae basin depressam continuantur. Caput omnibus unicolor olivaceum, fasciis liturisve destitutum. Color maribus in partibus superis cinereo-olivaceus, vitta longitudinali ad utrumque latus pallida, ex albido lutescenti, a cantho oculorum postico, in basin caudae decurrenti; latera plerumque fuscescenti-cinerea; maculae in dorso aut obsoletae aut prorsus nullae. Color pectoris albidus, pallide cinereo saepius variegatus, in vittam longitudinalem, medium ventrem occupantem, et laetissimo coeruleo utrinque marginatam, abiens; gula adultis e griseo-coerulescens, cauda plerisque unicolor, olivacea. Feminae, maribus semper minores, supra cinereo-fuscescentes, vel fuscescenti-olivaceae. Maculae nigrifuscae, albido saepius marginatae, bifariam positae, dorsum medium in iis occupant, rarius evanescunt. Vittae

laterales, minus quam in maribus conspicuae, virescentes, saepius retrorsum obsoletae, interdum prorsus desunt; abdomen e coerulescenti albicat; cauda fusco annulata.

Longitudo corporis $2\frac{3}{4}''$, caudae $4''$ (maris), long. corp. $2\frac{1}{4}''$, caudae $3\frac{1}{4}''$ (feminae).

8. Sc. AENEUS. M. Isis l. c.

Superne e viridi rufoque olivaceus, aeneo nitens; superciliis clypeato-squamosis; squamis dorsi ovato-rhombeis, alte carinatis, subacuminatis; lateralibus parum minoribus.

Hanc speciem cave ne cum Sc. variabili masculo, cui simillima, sed longe minor, commutes. Scutella frontis parva, ruguloso-carinata, subrhombea, minus regulariter disposita, sed ad situm in hoc genere vulgarem facile revocanda. Scutellum verticale primum simplex, profunde, uti secundum, canaliculatum. Supercilia clypeis squamiformibus, subhexagonis, carinulatis tecta. Squamae dorsi subovato-rhombeae, integerrimae, carina alta, in mucronem brevem desinenti. Squamae laterales sensim minores, carinis suis lineas longitudinales rectas, dorsalibus subparallelas constituunt. Color dorsi viridis, olivaceo-rufo permixtus, nitore cupreo, vitta pallide virente supra utroque latere; subtus e coeruleo-virescens, nitore aeneo; cauda superne cum dorso concolor, inferne albida, corpore longior. Unicum specimen possidemus, longitudine corporis $1\frac{3}{4}''$, caudae $2\frac{1}{4}''$.

9. Sc. SCALARIS. M. Isis. l. c.

Supra cinereo-fuscescens, maculis nigrifuscis, albido marginatis, ad vittam lateralem bifariam dispositis; macula scapulari indigocea; capite liturato; superciliis scutellato-squamosis, squamis dorsi laterumque subaequalibus, ovato-rhombeis.

Vide iconem maris. tab. VIII. f. 2.

Sceloporo variabili femineo admodum similis, sed characteribus praepositis facillime dignoscenda. Variabili minor, pictura elegantiori, in utroque sexu eadem. Scutellum verticale primum simplex, hexagonum. Supercilia media scutellis oblongo-polygonis, squamis undique inclusis tecta. Squamae dorsi ovato-rhombeae, acutae, integerrimae; laterales intermediis magnitudine subaequales, carinis lineas longitudinales rectas, dorsalibus intermediis subparallelas constituentes. Cauda corporis longitudine. Color in utroque sexu idem, olivaceo-cinereus, in fuscum vergens. Caput lituris fuscis pictum; anterior furcato-acutangula, intermedia subrhombea, in vertice antico, ad superciliorum margines extensa, posterior reniformis vel subcordata. Maculae in cervice dorsoque nigrifuscae undulatae, subsemilunares, postice albido marginatae, ad vittam albidam lateralem bifariam oppositae, in caudae basin descendentes. Axillas macula indigoceo-chalybea occupat. Foeminis gastraeum albicat, masculis vitta gemina pulchre coerulea pictum; mentum et gula lineolis obliquis cinereis in utroque sexu ornantur. Longitudo corporis $2\frac{1}{4}''$, caudae (regeneratae) $1\frac{7}{8}''$ (maris); long. corp. $2\frac{1}{4}''$, caudae (integrae) $2\frac{1}{4}''$ (feminae).

Gen. II. PHRYNOSOMA. M.

Cf. Commentat. meam: *Beiträge zur Amphibienkunde.* Isis XXI. ann. 1828. p. 367. Wagl. Syst. Amph. p. 145.

Caput breve, postice valde dilatatum, spinarum validarum corona cinctum, irregulari-tetraëdrum, fronte plana, clypei ad instar supra orbitas adscendente.

Dentes maxillares parvi, simplices, cylindrici, obtusi, conferti, aequales; primores 5. Palatum edentulum.

Aures apertae, sub colli plicis absconditae, tympano altius detruso.

Lingua crassa, apice incisula. *Nares* anticae. [58])

Truncus compactilis, ovalis, depressus, bufonius, superne squamis inaequalibus, minutis vestitus, aliisque maioribus, acutis, sparsis spinulosus, ad latera aculeorum serie fimbriatus.

Cauda brevis, basi latissima, depressa, apice teretiuscula, squamis imbricatim vestita.

Membra pro corporis mole breviuscula.

Glandularum femoralium pori parum conspicui. [59])

Nota 58. Duas huius generis sectiones bene agnovit Waglerus (Icones et descript. amphib. Fasc. II.); at vereor, ut eorum differentiam a squamarum abdominalium carinis recte sumpserit. Nam potius narium situ differunt. Docet igitur hoc parvum satisque naturale genus, narium situm, quo vir clarissimus pro generis charactere ubique usus est, neutiquam per se solum generis praebere diagnosin, nisi violenter distrahere velis, quae ipsa natura arctissimo vinculo iunxit. Idem supra (p. 14.) de Calotae genere observavimus.

Nota 59. Cel. Wagler cur poros femorales inveniri neget ac squamas in medio punctato-depressas eorum vices suscipere autumat, non video; detracta enim cute verae glandulae distinctissime apparent, licet minus quam in aliis generibus perfectae sint. Ceterum neque in P. bufonio meo desunt. Nam in utroque huius femore ternos video eiusmodi porulos, squamulis, florum rosaceorum instar dispositis, inclusos. Hunc igitur characterem ad generis diagnosin vere pertinere arbitror, eumque a cel. Harlan praetermissum esse, qui Agamam cornutam suam, ad idem genus procul dubio pertinentem, inter Agamas poris femoralibus destitutas recenseat. (Cf. Journal of the Academy of natural sciences of Philadelphia. Vol. VI. p. 14.)

Colore atque pictura inter se pulchre conveniunt, dorso nimirum cinereo, magis minusve flavescenti vel rufescenti, maculisque fuscis variegato. Degunt in locis lapidosis arenosisve; colorem aliquantulum mutare dicuntur. Sub calidiori coelo magnam agilitatem ostendunt; in frigidioribus locis vel frigidiori anni tempore lenta captuque facillima sunt. Victitant insectis. Herbarum, quibus Agamam Douglasii pasci narrat Bellius, in P. orbiculari ne ullum quidem deprehendi vestigium. Interna corporis fabrica in Phr. orbiculari haec mihi ostendebat: Sceleton imprimis singularem capitis structuram offert. Id enim, ut nimia brevitate atque latitudine, ita maxime prominentiis octo aculeiformibus excellit, quorum ternae utrinque ex osse temporali semicirculari, binae ex osse parietali brevi, lato oriuntur. Os frontale intermedium postice hamum utrinque, supra orbitam curvatum, atque os orbitale posterius excipientem emittens, literae T formam mentitur. Os orbitale anterius retrorsum hamulum elongatum exserit. Zygoma latissimum, infra angulatum, oblique descendens, ex osse zygomatico lato et parte inferiori ossis orbitalis (frontalis) posterioris, inversae literae Y formam aemulantis, constat. Vertebrae colli 6, quarum tres posticae costarum rudimenta gestant, dorsi 18, caudae 19. Truncus costarum abdominalium longitudine excellit, quae, inter se cartilaginibus suis connexae, dorsi quasi scutum ovale conficiunt. Discus sterni cartilagineus, infra fenestra pertusus, quaternas utrinque costas excipit. Rami laterales ossis sternalis intermedii breviores, quam in Sceloporo. Os coracoideum processu unico instructum; scapula margine integra. Os hyoides processuum posticorum nimia exilitate, ac cornuum poteriorum, obtuse angulatorum, latitudine insigne. Pulmones ampli, infra dissepimentis in loculos 4—5 oblongos, extus stricturis proditos, divisi. Ventriculus oblongus, amplissimus. Intestinum tenue, intus plicis longitudinalibus undatim flexuosis instructum, infra valde coarctatum, valvula circulari a colo distinctum. Colon oblongo-ovatum, coeco ovato, 4‴ longo, praeditum, ab intestino recto strictura diremtum. Hepar magnum, in lobulos plures lacerum, cum cystide conspicua. Lien oblongus cum pancreate in laevo ventriculi latere situs. Vesica urinaria deest.

P. ORBICULARE. M l. c.

Capite unicolore; naribus in asserculorum supraciliarium fine sitis; squamis abdominalibus laevibus; aculeis quaternis inter aurem orisque angulum, aliisque multis ad trunci latera, uniseriatis, subrecurvis, compressiusculis; abdomine maculato.

Vide iconem nostram Tab. VIII. f. 1.

Tapayaxin. Hernandez. Histor. animal Nov. Hisp. p.67. cap. 44. Recchius ibid. p.327. c. 16. c. fig. Tapaya orbicularis. Cuv. R. A. II. p.37. Phryn. orbiculare. Wagl. Icon. Amphib. II. 12. t. 23. fig. mediocris. S. A. p. 146. *Schinz Abbildungen.* Tab. 27. figura pessima. Gravenhorst Nov. Act. Ac. Caes. Leop. XVI. 2. p. 911. cum icone egregia.

Caput sphaerice trigonum, postice depressum et valde dilatatum, clypeolis irregularibus, multangulis, granuloso-rugosis vestitum. Frons plana, clypei cordiformis instar assurgens, aculeo brevi utrinque terminatur. Occiput ac tempora depressa atque aculeis validis, conicis, osseis, (in occipite binis, in temporibus ternis) armata, clypeolis prominulis exasperantur, quorum tubercula duo semper ante aculeos occipitales, tertium inter hos ipsos aculeos, inveniuntur. Palpebrae squamulis minimis alutaceis vestitae. Nares sub clypeo frontali, in asserculi supraciliaris fine sitae, foramine ovali extrorsum sursumque patent. Linguam utrinque *plica ciliata*, ac tela reticulatim spongiosa arcte inclusam et in nostra specie et in P. bufonio meo reperi, unde hoc ad generis characterem pertinere suspicor. Labia scutellis marginata; labii inferioris scutella aculeis quatuor ad aurem usque continuantur, quorum anticos ternos compressos, trigonos, ultimum teretiusculum, conicum, acutissimum semper observavi. [60]) Similis aculeorum scutiformium series ab apice menti versus aurem tendit. Reliquum mentum squamis parvis ex rhombeo ovatis, acutis, laevibus, dense imbricatim positis obtegitur. Collum breve depressum, utrinque paleari obtuse triangulari, bifariam spinifero, foveam lateralem obliquam auremque penitus occultanti, magnam acquirit latitudinem ac superne squamas minimas alutaceas atque aculeos acutissimos conicos numero quidem, nec tamen ordine variabiles ostendit. Semper enim supra ipsam vertebrarum spinam, duos (rarius unum) inveni, occipiti proximos, ubi vitta mediana dorsi incipit, ternos deinde pluresve utriusque maculae nuchalis marginem internum occupantes, unum denique eumque ceteris maiorem (rarius geminum trigeminumve) maculae nuchalis medium obtinentem. Gulam multifariam plicatam squamae parvae vestiunt. Dorsum squamas parvas, adpressas, carinatas, aliasque maiores, in aculeos triedros, acutissimos transmutatas, minoribus intermixtas, ostendit. Abdomen squamis laevibus rhombeis, transverse subimbricatim dispositis tectum, aculeorum recurvorum simplici serie a dorso separatur. Humeri, femora atque crura superne spinis acutis, inter squamas carinatas dispersis horrent. Inferum humerorum brachiorumque latus squamas parvas, maxima ex parte carinatas, ostendit, laeves vero easdem non nisi in posteriori humerorum latere invenies. Plantae pedum squamas latiusculas carinis pluribus totidemque denticulis praeditas ostendunt, quibus scandendi facultatem in petrosis locis augeri apparet. Cauda

---

Nota 60. Numerum formamque horum aculeorum quum in omnibus (triginta circiter), quae vidi, exemplis semper sibi constantem invenerim, eos vero in P. bufonio, in Agama cornuta et Ag. Douglassii desiderem, inde characterem specificum mutuari nullus equidem dubito, idque ab amicissimo Waglero, qui plura huius animalis specimina comparavit, praetermissum magnopere miror.

brevis, basi latissima, depressa, apice demum teretiuscula, superne squamis parvis, appressis, obtusis, carinatis, subtus maioribus, acutis vestita, quadruplicem aculeorum seriem superne gerit. Glandularum femoralium orificia magnitudine atque numero (12—17) admodum variant. Caput olivaceogriseum fasciis vittisque prorsus semperque destituitur. Trunci color rufo nonnihil in fundo pallide ochraceo-cinerascenti variegatus, duplicem ostendit macularum e fusco nigricantium seriem, quae albido pone marginatae sibique oppositae iuxta vittam vertebralem pallidam iacent. Maximum macularum par nucham, terna vel quaterna ipsum dorsum occupant; alia demum caudam annulis 6—7 cingunt. Ingluvies, venter caudaque subtus straminea, maculis nigro-fuscis irregularibus adspersa. Membra fasciis nigrofuscis variegata. Specimen vulgaris magnitudinis, $4\frac{1}{2}''$ longum hasce praebebat mensuras: longitudinem capitis $8'''$, trunci $2''\ 5'''$, caudae $1''\ 5'''$, maximam capitis latitudinem $\frac{7}{8}''$. In specimine eximiae magnitudinis, 5 poll. longo, caput $9'''$, truncum 2 poll. $8'''$, caudam 1 poll. $7'''$ longum inveni; caput pollicem fere summa latitudine aequabat. [61])

Praeter descriptas alias multas in Nova Hispania existere species, non dubium est. Sic ex Ascalabotarum familia plures hasce regiones incolunt, *Teque* ab incolis nominatae, quod Hernandesii verbis confirmatur. Tract. III. c. 52. p. 69. — Chirotae speciem, ex Annulatis (Pseudosauris) ibi degere, Daudin Hispani Velasquez auctoritate retulit. (h. n. d. rept. IV. p. 381.) Neque Amphisbaenarum formas exclusas puto. In has ut alii mox diligenter inquirant, vehementer opto.

Nota 61. P. orbiculare meum s. Lacertum orbicularem Hernand. ab Agama orbiculari Daud. toto coelo diversum esse, et ipse in tractatu supra citato ostendi, et Cl. Harlan l. c. p. 303. recte monuit. Restat, ut de ceteris speciebus, praecedenti nostrae simillimis, pauca disputem. Phrynosoma bufonium meum quibus potissimum notis a P. orbiculari differat ibidem indicavi. (Beiträge zur Amphibienkunde. Isis XXI. l. c.). Naribus scilicet, intra canthos supraciliares in ipsa superficie rostri sitis, aculeorum a labri margine ad aurem procedentium defectu, squamis gastraei carinatis, duplici demum aculeorum lateralium fimbria satis superque discrepat. Neque nostram speciem cum Agama cornuta Harl. (Journal of the Acad. of natural scienc. of Philad. IV. p. 299. et ibid. VI. p. 14.) commutaveris, quem errorem quomodo Waglerus meus (Icones et descr. amphib. Fasc. II. fol. 12.) committere potuerit, non intelligo. Cel. Gravenhorst, l. c. p. 912., falso eundem in me ipsum confert errorem, quasi *Agamam cornutam* Harlani a *Phrynosomate orbiculari* haud differre ad se scripsissem. Quod vero mihi nunquam in mentem venit. Quum enim Vir Celeberrimus nostrae speciei iconem, sub novo *Agamae horridae* nomine vere praeteriti anni ad me mitteret, tunc temporis et commentationem meam in Iside et iconem a Waglero datam ignorans, hoc solum, quod memini, ad eum perscripsi, Ag. horridam Mus. Vratislaviensis iam sex ante annos a me descriptam, cum Agama Douglassii Bell, Agam. cornuta Harl et tertia specie a me ipso instituta, genus peculiare, a Waglero aliisque scriptoribus iam adoptatum constituere, cui nomen Phrynosoma imposuerim. Rectius Waglerus (System. Amphib. p. 146.) Harlani speciem vix a P. bufonio meo discedere dicit. Mirum sane, quanta inter utramque speciem similitudo! Quod quum iam tunc temporis viderim, dubius haesi atque etiamnum haereo, an revera P. bufonium meum ab Agama cornuta specie differat. At Phrynosomatis bufonii caput fasciis tribus nigro-fuscis ornatur, quas et in Agamae cornutae icone, et in descriptione Cl. Harlani satis, ut videtur, accurata desidero. Deinde Cl. Harlan palearis colli lateralis, multo quidem quam in P. orbiculari minoris, at propter spinulas statim in conspectum venientis, nullam fecit mentionem. Demum, quod iam olim animadverti, squamas gastraei, in P. bufonio carinatas, in icone laeves reddidit, nec carinarum in descriptione meminit, quas tamen alias commemorare solet. Rem igitur in suspenso relinquere cogimur. Quam vero antea de remota utriusque animalis patria dubitationem movi: P. bufonium scilicet a Sackio Comite e Surinamia allatum esse, Agamam cornutam contra Rupimontium (rocky-mountains) latus orientale adhabitare, eam non amplius obstare arbitror. Beati enim Comitis auctoritati, pro animalium, quae ex itineribus suis retulit, patria, haud multum tribuendum esse, postea didici, qui, quum illa animalia non ipse ibi collegerit, sed ab aliis collecta undique emerit, saepius fortasse a venditore deceptus est.

Maior inter Phryn. orbiculare nostrum et Agamam Douglassii, speciem a Cl. Bellio nuper institutam (Transact. of the Linnean Society. Vol. XVI. p. 105. Tab. 10.), intercedit similitudo. Poros enim femorales multos (20), eosque satis apparentes habet; lateralium porro aculeorum simplicem, ut videtur, seriem; squamas gastraei laeves; eundem, quantum ex icone colligere licet, narium situm; sed ventrem prorsus immaculatum, dorsum lutescenti-albidum, maculis piceis irregularibus, transverse ordinatis pictum ostendit. Hinc eam pluribus aliis notis a nostra specie discrepare certissime spero, quas tamen neque e Bellii verbis, neque ex prava eius icone eruere poteris.

Hisce igitur diligenter perpensis quatuor nobis innotuisse species credo, easque in praesens ita distinxerim:

§. **Naribus in asserculi supraciliaris fine sitis; poris femoralibus distinctis pluribus, aculeorum lateralium serie simplici:**

1. P. *orbiculare.* m. Ventre maculato; squamis gastraei laevibus; Novae Hispaniae incola.
2. P. *Douglassii.* Agama Douglassii. Bell. l. c. Ventre immaculato; squamis gastraei laevibus. Habitat in occidentalibus Americae borealis regionibus; locis apertis, aridis, desertis gaudens; insectis herbisque victitans; aestate admodum agile, vere autumnoque tardius, frigoris impatiens, gelu nocturno in peregrinatorum cubilia intrare studet.

§§. **Naribus intra asserculos supraciliares sitis, poris femoralibus paucis magisque obsoletis; aculeorum lateralium fimbria duplici.**

3. P. *bufonium.* m. (cf. Isid. l. c.) Squamis gastraei argute carinatis, capite fusco fasciato; incertae patriae.
4. P. *Harlanii.* m. Agama cornuta. Harl. l. c. et ibid. Vol. VI. p. 14. Squamis gastraei laevibus (?), capite unicolore (?). Habitat in vastis campis Rupimontibus versus orientem adiacentibus.

Omissa: p. 11. adde speciem Scincum Sloanei. Daud. sub Spondyluri genere omissam. — p. 14. l. 18. adde lineolam (—) ante G. Kuhlii. — p. 16. l. 14. ad characteres citatos adde: Dorsi carina integerrima, nec cristata. — p. 17. l. 21. adde asteriscum ante nomen Agamae muricatae, quam nondum vidi.

Corrigenda: p. 11. in fine pro nomine Typhlines pone Typhlosaurus, ne cum eiusdem nominis genere, a Waglero S. A. p. 194. constituto, quod vero supprimendum puto, commutetur. — p. 14. l. 7. ab infima Dracunculi personati et p. 20. l. 20. Hemidactyli pristiuri nomina immutanda erunt. Illum Dr. spilopterum, hunc H. mutilatum in Act. Acad. Caes. Leop. Carol. l. c. nominare serius praetuli.

TYPIS FRATRUM UNGER.



Heloderma horridum. Wiegm.



Cyclura pectinata. Wiegm.



Cyclura denticulata Wiegm.



Laemanctus longipes. Wiegm.



F. A. Schmidt del.

Corythaeolus vittatus. Kaup.
Basiliscus vittatus Mus. Berol.

Tab. VI.



Chamaeleopsis Hernandesii. Wiegm.

Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.



Fig. 1. Sceloporus torquatus. Wiegm.
Fig. 2. Sceloporus formosus. Wiegm. resupinatus.
Fig. 3. Sceloporus spinosus. Wiegm.

Tab. VIII.

1.



2.



F. A. Schmidt del.

Fig. 1. Phrynosoma orbiculare Wiegm.
Fig. 2. Sceloporus scalaris Wiegm.

Tab. IX.




F. A. Schmidt del.

Fig. 1. Gerrhonotus taeniatus Wiegm. Fig. 2. eiusdem Caput.

Fig. 3. Gerrhonotus Deppii Wiegm. Fig. 4. eiusdem Caput.

Tab: X.

1.



3.



6.



4.



5.



2.




Fig. 1. Gerrhonotus rudicollis. Wiegm.
Fig. 2. Gerrhonotus imbricatus. ____
Fig. 3. Caput Gerrhonoti tessellati. ____
Fig. 4. Caput Gerrhonoti rudicollis. Wiegm.
Fig. 5. ____ ____ imbricati. ____
Fig. 6. ____ ____ adspersi. ____

(Scutella capitum diversis indicata coloribus, quo facilius in conspectum veniant.)